



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibus Moribusque Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber XI. De Providentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

DE
PERFECTIONIBVS
MORIBVSQVE
DIVINIS
LIBER VNDECIMVS,
DE PROVIDENTIA DEI.

CAPVT PRIMVM.

*Deum habere omnium rerum prouidentiam:
& quid sit Prouidentia.*

*In Deo esse
prouidentiam
rerum om-
nium.*

DEVM habere omnium rerum prouidentiam & gu-
bernationem, certum est ex Scripturis. Psalm. 146.
*Qui operit calum nubibus, & parat terra pluuiam; qui
producit in montibus fœnum, & herbam seruituti homi-
num, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis cornu-
rum inuocantibus eum.* Quibus verbis S. Scriptura etiam ad mi-
nima eius curam & prouidentiam pertine. e indicat. Psal. 138. *Ecce
Domine tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, &
posuisti super me manum tuam, ut me protegas & dirigas, &c.* Item
Psalm. 103. 106. 134. 135. & aliis locis celebratur diuina prouiden-
tia. Sap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia
suaniter.* hoc de conseruatione & gubernatione rerum intelli-
gendum est, ut rectè docet D. Augustinus lib. 4. De Genesi ad lit.
cap. 12. Priori enim parte significatur, ita potenter omnia à summa
natura

natura vsque ad infimam, à supremo Angelo vsque ad infimam materiam, eius magis teneri in suo esse suaque specie, vt nulla nisi ipso volente vel permittente possit excidere. Altera, omnia suis collocari locis & ordinibus, & aptissimis mediis ad suos fines dirigi. Sap. 14. *Tua, Pater, sapientia gubernat mundum & omnia.* & cap. 15. *Tu autem Deus noster suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.* Matthæi 6. pulcherrime ostendit Dominus, prouidentiam diuinam etiam ad minima pertingere, & illa semper fidendum. *Ideò dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Respicite volatilia celi, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester celestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modice fidei?* Luc. 12. ex eo quòd Deus etiam circa minima prouidentiam habet, ostendit non esse timendum, ne defint nobis necessaria, etiamsi omnia propter Deum relinquamus. *Nonne quinque passeret vaneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos.* Demique nihil ferè pallim Scriptura adeò nobis proponit & insinuat, ac Dei prouidentiam.

2. Est autem *Prouidentia* iuxta Boëtium lib. 3. De consol. Prosa 6. *diuina ratio in summo omnium Principe constituta, que cuncta disponit, nimirum in suos fines, vt S. Thomas explicat 1. p. q. 22. a. 1. quo loco eam simili modo describit: Prouidentia, inquit, est ratio ordinis rerum in finem, in Deo existens.* In rebus duo spectari possunt. Primum, Res ipsæ in se secundum suam essentiam. Alterum, Ordo & habitudo quam habent singulæ ad finem tum proprium, tum communem totius vniuersi, qui est manifestatio perfectionum diuinarum. Vtriusque *ratio*, id est notio seu conceptio, & (vt Græci dicunt) λόγος, est in Deo. *Notio* rerum in se spectatarum, nempe quatenus sunt talis formæ & speciei, vocatur *idea: notio* verò illarum quatenus ordinantur in finem, vocatur *prouidentia*. Verùm cum prouidentia diuina sit perfectissima & vniuersalissima; nec solum extrinseco modo, sed etiam intrinseca ordinatione res omnes in suos fines destinet, creando & formando rerum naturas, conferendo proprietates natiuas, & vires, & figuras con-

Quid sit Prouidentia.

gruentissimas, & partes mirifica proportione confirmatas, & omnia quæ ad rerum pulchritudinem, vsum, functiones & conseruationes sunt opportuna, necesse est vt cõtineat etiam ideas seu notiones essentiarum, quarum creatio & formatio intrinsecè ordinem ad finem includit: præsertim cùm Deus nihil nisi ob aliquem finem velle aut facere possit. Vnde & ipsa creatio, quatenus fit ob certum finem à Deo intentum, est opus summæ prouidentia, vt infra ostendemus. Itaque ideas intrinsecè in ratione prouidentia diuine includuntur vel eidem supponuntur. Petes, ad vtram facultatem prouidentia pertineat, ad intellectum, an ad voluntatem. Respondeo, à S. Thoma poni in intellectu, sicut & ideas in intellectu ponuntur. Sicut tamen notiones rerum in Deo non dicuntur ideas, nisi applicentur à voluntate ad rerum productionem; ita *notio* & conceptio ordinis rerum in finem non dicitur prouidentia, nisi à voluntate applicetur ad executionem. Vnde etiam quodam modo includit actum voluntatis, nimirum decretum exequendi. Hinc quidam DD. volunt prouidentiam pertinere ad voluntatem: quod confirmatur ex Damasceno lib. 2. De fide Orthodox. cap. 29. vbi dicit, *prouidentiam esse voluntatem Dei, per quam omnia quæ sunt, conuenientem gubernationem accipiunt*. Quare vtroque modo loqui possumus de *prouidentia*; nimirum, ipsam esse rationem seu præconceptionem ordinis rerum in finem cum decreto exequendi; vel, decretum exequendi rationem ordinis rerum in finem, à Deo præconceptam. Parum autem refert, vtrum propriè nomine *prouidentia* significetur, ipsane conceptio ordinis, an ipsum decretum executionis; cùm constet, vtrumque necessariò & essentialiter requiri. Quod tamen antè diximus, videtur magis consentaneum, nimirum vt ipsa conceptio ordinis rerum in diuina mente existens, à voluntate ad executionem applicata, prouidentia dicatur. Vnde ad intellectum pertinebit, etsi voluntatem supponat. Nam prouidentia futurorum, est *prudencia* præcipua pars; vel species quædam quæ *prudencia monarchica* dici possit. Sicut enim prudencia economica & militaris dicitur species prudencia, & ad intellectum pertinet; ita etiam prudencia Politica & Monarchica, qua rectè instituitur & gubernatur Respublica.

Est adus
partim in-
tellectus, par-
tim volun-
tatis.

Aristoteles 6
Ethicor. c. 8.

Permissio sub
prouidentia
caedit.

Obiiciet aliquis: Ad prouidentiam pertinet, non solum res dispo-
nere in suos fines, sed etiã permittere excidere à suo fine, & punire
malefactores: ergo non rectè definitur esse *ratio ordinis rerum in fi-
nem*. Dũ enim permittuntur excidere à suo fine, & puniuntur pœna
ater-

æterna, non disponuntur in finem. Respondeo, Non est necesse vt omnis actus prouidentia positius, vel etiam negatiuus, qualis est permissio, dirigat naturam rationalem vel irrationalem ad suum finem consequendum. Neq; enim in eum sensum accipienda est illa descriptio prouidentia: sed sufficit vt Deus nihil faciat vel permittat circa res creatas, nisi ob certum finem, quem ipse sibi propositum habet. Non enim ratio prouidentia postulat, vt omnis actio prouisoris dirigat res subiectas ad consequendum proprium illarum finem: sed satis est vt tendat ad finem, quem prouisor sibi statuit. Sic punitio peccatorum fit ad ostendendam diuinam iustitiam; permissio verò, vt opera virtutis sint libera, & excusetur in nobis sollicitudo bene operandi, & qd alios optimos fines, vt docet Damascenus lib. 2. cap. 29.

CAPVT II.

Quæ sint Prouidentia diuina functiones.

4 **V**T melius intelligatur quid & qualis sit diuina Prouidentia, consideranda sunt eius functiones, & generales operationes circa res creatas. Hæ generatim sunt duæ, *creatio & gubernatio*. Quod *creatio* sit opus diuinæ prouidentia, patet Primò, Quia mundus non est casu factus, sed certissimo consilio, & specialissimo decreto: atqui nihil est quod potius sit dicendum opus prouidentia, quàm quod absoluto & peculiari decreto ad omnes rei circumstantias pertingente præfinitum est. Deinde, Quia res omnes secundum suam essentia condita sunt propter finem, tum proprium cuique, qui est cuiusque operatio, tum communem omnium, qui est gloria Dei. itaque in sua essentia habent ordinem & habitudinem ad finem, qui ordo est impressio diuinæ prouidentia. Tertio, Quia per creationem acceperunt vires, qualitates, temperamentum, locum, ordinem & figuram, prout cuique congruebat ad suum statum, functionem, finemque proprium. atqui hoc nihil est aliud quàm conuenienter ordinari & instrui ad suum finem: ergo est opus prouidentia. Denique, omnis operatio tendens ad aliquem finem, est opus prouidentia: atqui creatio est operatio tendens ad finem, est enim operatio primi & supremi operantis, qui omnia propter vltimum finem, qui est ipse operans eiusque gloria, operatur. Itaque quòd iste mundus, istis corporibus constans, ea magnitudine,

*Dua functiones prouidentia.
1. Creatio est opus prouidentia.*

tudine, multitudine, situ, qualitate, viribus, figuris, tempore, loco, ordine, sympathia, antipathia præditis, non alius, nec ex aliis aut aliter factus sit, est opus diuinæ prouidentia, omnia certo consilio facientis, & ad certos fines ordinantis.

2. Gubernatio.

Qui sint actus gubernationis.

Quod etiam gubernatio sit opus prouidentia, per se notum est; sed multi actus hoc nomine continentur: nimirum *conseruatio, cooperatio, prædefinitio, permissio, impeditio multorum malorum, motio cælorum, illuminatio naturæ rationalis, redemptio hominum, iustificatio, remuneratio, punitio.* de quibus singulis aliquid dicendum est.

CAPVT III.

De Conseruatione & Cooperatione.

Conseruatio est primus actus ad gubernationem pertinet.

1. est cooperatio seu concursus. Necessitas concursus.

IN gubernatione primum locum tenet *conseruatio* rerum, quam etiam SS. Patres passim gubernationem vocant; vt constat ex testimoniis supra Libro x. n. 21. & seq. allatis, & ex D. Augustino l. 4. De Genes. ad literam c. 12. Nam primum munus gubernatoris est, conseruare ea quæ gubernanda suscepit, ne pereant. sic enim planè ab ordine & directione qua in finem diriguntur, exciderent.

Secundum locum tenet *cooperatio*: nam sine diuina cooperatione nulla res creata potest operari, ac proinde nec assequi finem, aut in illum tendere; sed instar inanis idoli, sensu, motu, & omnibus viribus defecti, stabit? Si Deus concursum suum subduceret rebus, cessaret motus cælorum, & illuminatio orbis; cessaret elementorum & omnium contrariorum pugna; cessarent ortus & interitus rerum, vicissitudines temporum, incrementa & decrementa uiuentium, omnis alternatio, & motus localis omnis. Cessaret in beatis visio beatifica, amor & gaudium omne; in damnatis omnis dolor & tristitia, in omnibus uiuentibus omnis intelligentia, omnis memoria, omnis uolitio, omnis affectio, omnis passio, omnis imaginatio, omnis sensus, & motus vitalis omnis: neque ullum esset inter animata & inanima, inter sentientia & sensus expertia, inter rationalia & irrationalia, inter beatos & damnatos discrimen, quod ad sensum boni vel mali, commodi vel incommodi attinet; sed omnia eodem modo se haberent, tamquam ratione, sensu, motu, vita, & vigore omni destituta. Hinc patet quanti momenti sit hic concursus, cum inde pendeat tota beatitudo, & omne bonum naturale & supernaturale, & sine ipso simus perinde ac si non simus.

Et

8 Et quamuis non fit expressum dogma fidei, hunc concursum esse necessarium; tamen est communis sententia DD. vno Durando excepto (qui lib. 2. Sentent. d. 1. q. 5. purat, Deum non concurrere cum creaturis ad operationem earum, nisi quatenus eis dedit vires operandi, easque vires conseruat) & consentiunt omnes Academia Catholicorum, & potest probari ex Scripturis. Iob 10. *Manus tua, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu. Nonne sicut lac mulisti me, & sicut caseum me coagulasti?* Psal. 138. *Quid ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in calum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Act. 17. *Quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus,* de quo loco supra.

Concursum Dei esse necessarium et res operentur.
Contra Durandi sententiam.

Sed dicet aliquis pro Durando, hæc omnia intelligi posse ratione virtutis operandi quam rebus in seuit, & conseruat. Vis enim operandi rebus impressa, est veluti semen & instrumentum per quod Deus operatur omnia, multò magis quàm per concursum generalem. Ratione enim illius concursus non potest propriè dici Deum formare omnia membra, dare quique suam speciem, suum temperamentum, suam figuram, suam connexionem, suam virtutem: alioquin etiam sol diceretur hæc omnia propriè facere, quia etiam ad formationem omnium membrorum cooperatur; quod tamen nemo dixerit. Et ratio est, quia diuersitas illa quæ est in partibus corporis, non est referenda ad concursum Dei aut solis, qui ex se est vniformis; sed ad multiplicem virtutem quæ est in causa secunda, nimirum in semine. Quia tamen Deus omnem illam vim semini impressit, eaque assidue conseruat, quasi assidue eam creans, verè & propriè dicitur illa facere per virtutem seminis tamquam per suum instrumentum. Et hac ratione creaturæ possunt dici instrumenta respectu Dei, & Deus omnia per illas operari; omnia, inquam, bona, non mala, quæ Deus non intendit, neque ex perfectione virtutis à Deo insertæ, sed ex defectu creaturæ sequuntur.

Responsio pro sententia Durandi.

Hæc interpretatio videri possit omnino non inepta, & ideò hæc loca non conuincunt rem esse fide certam: tamen non satisfacit. Si enim Deus solùm dicitur illa operari, quia vires dedit & conseruat, solùm mediatè & per accidens illa operabitur, nimirum, quia contingit rem illam quam ipse fecit illa operari. Neque reverà

Responsio ista refutatur.

Y magis

magis operabitur aut cooperabitur cum causæ secundæ operantur, quam cum cessant: nam utroque tempore solum eas conseruabit. At Scriptura amplius significare videtur, cum effectus causarum Deo tribuit, quam nudam causarum secundarum conseruationem. Itaque et si concursus generalis non sufficiat, ut illius solius ratione Deus dicatur omnia operari; sed requiritur ut vires dederit, & eas conseruet: tamen præter hoc debet etiam cooperari & actu concurrere, alioquin solum remote & denominatione valde extrinseca dicitur illa facere, nec poterit dici præbere opem & auxilium creaturis in operando, quod tamen aperte indicat Scriptura cum ait: *Etenim manus tua deducet me*; quasi dicat, Non possum eò ire, nisi me iuues & deducas, sicut mater deducit infantem, qui ambulare absque ope alterius non potest. Certè *deducere* amplius est quam *conseruare* vires. nam etiam si non deduceret, vires conseruaret. Simili ergo modo de omnibus aliis causis creatis dicendum est, non posse illas suas functiones edere, nisi iuuentur à Deo. eadem enim est omnium ratio & proportio respectu suarum operationum, & eadem à Deo essentialis dependentia.

*Probatum ex
S. Hieronymo.*

Confirmatur ex D. Hieronymo l. 1. Contra Pelagianos, ubi hanc sententiam videtur clarè tradere, inducens Pelagium sub nomine Critobuli obiicientem, & Catholicum sub nomine Attici respondentem. Critobulus: *Si in singulis rebus quas gerimus, Dei vtendum est adiutorio, ergo & calamus temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manum aptare literis, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cetera huiusmodi, nisi Deus iuuerit, non poterimus?* Atticus: *Iuxta meum sensum, non posse perspicuum est.* Critobulus: *In quo igitur liberum habemus arbitrium, & Dei in nos gratia custoditur, si ne hoc quidem absque Deo possumus facere?* Atticus: *Non sic donata est liberi arbitrii gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum.* Critobulus: *Non tollitur Dei adiutorium, cum creatura ex semel dati liberi arbitrii gratia conseruentur. Si enim absque Deo, & nisi per singula ille me iuuerit, nihil possum agere; nec pro bonis me iuste operibus coronabit, nec affiget pro malis, sed in utroque suum vel recipiet vel damnabit auxilium.*

*Pelagius non
negauit conseruationem,
sed cooperationem.*

Ex hoc loco tria colligimus. Primum est, Etiam Pelagium posse 10
fuisse, conseruationem rerum à Deo esse necessariam; cum gratiam in eo constitueret, quòd Deus liberum arbitrium dedisset & conseruaret. *Conseruatio* enim nullam adferebat libertati difficultatem. Alterum est, Pelagium negasse concursum & cooperationem

nem generalem Dei, non minus quàm gratiam supernaturalem. hic enim concursus potissimum negotium facessit ingenio humano in causa libertatis. Itaque hunc negabat etiam in actionibus naturalibus liberi arbitrij, ne cogereetur earum tollere libertatem. Tertium est, Hic synonymum pro indubitato habere, Deum non solum dedisse vires, easque conseruare, sed etiam in singulis operibus iuuare, & creaturam sine illo adiutorio nihil posse. Quod etiam confirmatur ex Epist. ad Ctesiphontem, vbi contra Pelagium sic agit: *Fraudulenter pretendis vt gratiam Dei ad conditionem hominis referas, & non in singulis operibus auxilium Dei requiras, ne scilicet liberum arbitrium videaris amittere, & cum Dei conseruans adminiculum, hominum requiras auxilia. Audite, quaeso, audite sacrilegum: Si, inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa iacere, duobus digitum purgamenta decutere, releuare aluum, urinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingratus, imò sacrilege, Apostolum predicantem: Siue manducatis, siue bibitis, omnia in nomine Domini facite.* Hic Hieronymus requirit auxilium Dei etiam ad singula opera adiaphora & naturalia: neque fingi potest, quòd aliud auxilium ad ista sit necessarium, præter auxilium generalis cooperationis. Nec obstat quòd adducat locum Apostoli, in quo agitur de operibus ad Deum referendis: ex eo enim quòd omnia opera etiam per se adiaphora, ad honorem Dei referenda sunt, colligitur etiam, illa à Deo pendere, esseque eius beneficia. Idem probari potest ex testimonijs Patrum supra allatis. Si enim creaturæ sunt per se adeò debiles, vt nisi Deo conseruante & assidue veluti creante, non possint existere, quomodo sine ipsius auxilio & cooperatione poterunt operari?

Ex aliorum Patrum testimonij.

¶ Sed omnis Patrum testimonijs, probatur ratione. Primò, Res solidissimæ & per se subsistentes, vt substantia Angelica & celorum, agent assiduo influxu Dei, quo immediatè ab ipso conseruatur, vt supra Libro x. num. 21. & seq. ostensum est: ergo multò magis res imperfectæ & alijs inherentes, vt actus vitales, lumen aëris, & quouis alius effectus causæ creatæ. Neque tici potest, illas sufficienter conseruari à suis subiectis: tum quia subiectum nihil præstat effectiue ad conseruationem, sed solum recipit, vt modo sibi connaturali existant; vnde opus est alio influxu, quo effectiue conseruetur ipsa existentia; quo continuato, continuaretur illarum existentia etiam subiecto subtracto vel annihilato, vt alibi ostensum est, & patet in mysterio SS. Eucharistiæ: tunc quia etiam subiectum

Ratione probatur.

Formas rerum & accidentia non posse conseruari sufficienter à suis subiectis.

in quibusdam etiam effectiue influat, vt in actibus vitalibus, & aliis accidentibus quæ ab intrinseco manant, tamen illud ipsum, vt est causa efficiens formæ accidentalis intra se, non minus eget concursu generali, quàm cum producit aliqua extra se, verbi gratia, calorem vel frigus. Si enim aqua, vt producat frigus extra se in mea manu, eget concursu generali; cur nos etiam vt producat illud in seipsa, vt cum ex calore reducit se ad frigus? Dices, esse magnum discrimen: nam cum frigus producit ab aqua foris, non potest assidue à forma aquæ conseruari; vnde eget alio conseruante, donec à contrario vincatur & aboleatur. itaque debet immediatè conseruari à prima causa. Cum autem producit in ipsa aqua manans ab intrinseco, sufficienter conseruatur assiduo influxu essentia ipsius aquæ, vnde ab initio manauit; & sic non eget alio conseruante. Sed hoc absurdum est: quia constat, frigus aquæ posse à Deo conseruari, ipsa aqua in nihilum redacta; ergo non habebat essentialem dependentiam ab essentia aquæ, sed magis dependebat à Deo, cuius solius influxus sufficit ad illius conseruationem. Confirmatur; Quia omnijenti creato essentialè est dependere à Deo: hoc enim ita est illi intrinsecum, vt eius essentia sine hac dependentia concipi distinctè nequeat. Vnde etiam diuisio entis, in ens à se, & ens ab alio; siue in ens per essentiam, & ens per participationem, est essentialis. Neque dici potest hanc dependentiam in quibusdam rebus esse solùm mediatam; quia hoc nihil est aliud, quàm rem illam non dependere propriè à Deo, nec ab illo aliquid accipere, sed dependere & accipere esse ab alia creatura, quæ immediatè dependeat à Deo: & ita illa, res dicenda potius est habere dependentiam essentialè à causa creata quàm à Deo; quod est absurdum.

Secundò, Si aliqui effectus possent fieri à causis secundis absque Dei cooperatione, maximè id haberet locum in actibus vitalibus, vt in visione, intelligentia, volitione, &c. hi enim videri possint sufficienter pendere à suis potentiis à quibus eliciuntur, & in quibus recipiuntur. Atqui dici non potest, in huiusmodi nos non egere Dei auxilio, vt supra ex Hieronymo ostensum. Confirmatur: Quia cum in huiusmodi actibus sita sit perfectio naturæ intelligentis, poterit hæc natura suam perfectionem & finem consequi sine auxilio diuino, quod sanè videtur absurdum. sic enim perfectio naturalis non penderit à Deo, nisi remotè, quatenus natura penderit à Deo: & illa natura non egebit Deo ad felicitatem naturalem, nisi
ad

ad hoc præcisè, vt ipsa conseruetur, non autem vt suam naturalem felicitatem assequatur. Confirmatur secundò; Quia Deus sæpè actus vitales nobis immediatè immittit, non solùm proponendo obiectum, sed etiam ipsos actus in nobis effectiue cauendo & formando; vt patet in gratiis præuenientibus, quæ sunt actus supernaturales intellectus & voluntatis: ergo isti actus etiam immediatè à Dei concursu pendunt. Sicut enim cùm Deus peculiari & determinato concursu ad illos actus concurrat, etiam concurrat ipsa potentia, vt patet in actibus prædictis: ita etiam cùm potentia se ad illos determinat, Deus concurrat concursu generali. Itaque nulla est ratio cur excipiantur actus vitales.

13 Tertio, Si negetur iste concursus, tollitur illa perfectissima subiectio & dependentia creaturarum à Deo. Nam in operando non pendebunt ab auxilio & cooperatione Dei, cùm tamen in operando consistat summa perfectio videntium. Vnde etiam effectus operatione productus non pendebit à Deo, saltem quamdiu subest virtuti suæ causæ producentis & conseruantis. Quare lumen à sole per totum mundum diffusum, & in ipsis stellis & planetis existens, non pendebit à Deo; similiter nec calor inde consequens: neque sol in mundo illuminando, suoque calore fouendo, egebit auxilio Dei. imò non poterit Deus impedire quin sol illuminet mundum, nisi lucem ipsius extinguat, vel opacum aliquod corpus circumponat. Similiter non poterit impedire cogitationes & volitiones Angelorum aut dæmonum, nisi fortè species intelligibiles (si tamen hæc sunt necessaria) illis auferat, & eorum naturam lædat. Quæ omnia sunt valde absurda, & multùm derogant perfectissimo Dei dominio, & summx dependentiæ creaturarum ab ipso. Confirmatur: Quia Deo in creaturas omnes tribuendum est perfectissimum dominium & summa potestas quæ animo concipi potest, & creaturis summa subiectio & dependentia. Atqui multò erit perfectius dominium Dei & potestas, maiorque creaturæ subiectio & dependentia, si hæc nihil sine ipsius auxilio possit: ergo statuendum, ipsam in omnibus eius ope egere. Maior per se patet, similiter & Minor. Confirmatur: Sic enim facillè intelligitur, Primò, Quomodo nihil sine ipsius nutu fieri possit. Secundò, Quomodo omnes actiones creaturarum possit impedire absque vlla vi, aut earum læsione, solius sui concursus generalis insensibili denegatione. Tertio, Quomodo possit conseruare, verbi gratia, lumen à sole productum, cessantibus causis secundis. Quarto, Quomodo intel-

*Tollere-ur
perfecta sub-
iectio crea-
tura.*

lectui & voluntati possit immediatè supernaturales actus immittere, &c. Quintò, Quomodo actionem ignis Babylonici suspendit in pueros, non in regios ministros: quomodo Dominus se ad spectui Iudæorum subtraxerit, &c.

Quartò, Accedit, quòd ipsum *operari & producere* sit res valde mirabilis, adeò vt aliqui Doctores negauerint creaturam posse aliquid propriè producere, putantes Deum omnia operari ad præsentiam creaturæ. Ita senserunt aliqui, quos tacito nomine refert S. Thomas 1. p. q. 105. a. 2. quam sententiam Petrus de Alliaco, & Gabriel in 4. d. 1. q. 1. a. 3. dub. 3. putant probabilem. In omni enim operatione prædicatur aliquid ex nihilo; quia id quod producitur, antea nihil erat. hoc autem videtur excedere vires creaturæ, estq; ingenio humano inexplicabile. Verùm nullo modo neganda est creaturis vera efficientia: alioquin frustra illis vires datæ essent, frustra variis organis instructæ. Imò si generatim hæc sententia intelligatur (sicut intelligi debet, cum omnium causarum secundarum eadem sit ratio) tolletur libertas arbitrij, & cõsequenter meritum & peccatum, cælum & infernus; & Deus omnium malorum solus erit auctor. Dicendum igitur, creaturam posse operari & producere non solam, sed concurrente & adiuuante causa prima, cui primò & per se ipsum *esse* in quouis effectu respondet, vt multis locis docet S. Thomas 1. p. q. 8. a. 1. & q. 45. a. 5. & in 2. Sent. d. 1. q. 1. art. 4. & alibi. Denique, hæc sententia media est inter duas extremas; quarum altera affirmat, solum Deum effectus causarum secundarum producere; altera, solam creaturam. Dicimus enim, vt rumq; concurrere, & physicè in effectum influere; ita vt causa secunda verè & propriè effectum producat, non tamè absq; ope & auxilio Dei. Hinc sequitur, sicut nulla creaturæ fieri potest, quæ non dependeat ab influxu Dei in existendo: ita nulla fieri potest, quæ non dependeat ab illius influxu in operando. In vtroque enim æquè eget influxu Dei propter essentialem ordinem & dependentiam ab ipso, qui est omnium esse, omnium vigor.

CAPVT IV.

Quo modo Deus creaturis cooperetur.

*Quo modo
Deus coope-
retur rebus
suo concursu
generali.*

OSTENDIMVS Deum omnes causas creatas in operando iuuare; nunc breuiter explicandum, quomodo hanc opem conferat. qua de re plurima dici possent, de quibus alibi ex professo satis actum.

actum. Itaque nunc absque vlla disputatione vel refutatione sententiae contrariae, statui simplici modo veritatem declarare. Suppono, *concursum generalem* Dei nihil esse aliud quam benignam & suauem Dei cooperationem, qua singulis rebus accommodatè ipsarum naturae cooperatur, vnà cum ipsis influendo immediatè in earum effectum. Et si enim causae secundae sint sufficientes & totales in suo ordine, absolutè tamen non sunt totales, sed quali partiales, egentes adminiculo causae primae, ita vt ex causa prima & secunda vna totalis & omnino integra causa, nullius alterius opis indiga, constituatur.

Sicut igitur partiales causae eiusdem ordinis altera non agit in alteram, nec determinationem aliquam prauiam altera alteri imprimit, sed simul omnino & dependenter à mutua cooperatione influunt immediatè in effectum (vt patet his exemplis. Primò, quando duo trahunt nauem, vel leuant aliquid pondus: Secundò, quando potentia^a visiva vnà cum specie visibili producit visionem: Tertio, quando intellectus^b vnà cum specie intelligibili intellectionem: Quarto, quando voluntas vnà cum habitu charitatis dilectionem supernaturalem, &c.) ita quando Deus concurrat concursu generali cum causa secunda, non agit in illam, nec vllam prauiam motionem, impulsam, vel determinationem illi imprimit; sed simul agit cum illa, ita vt vtraque causa cum mutua dependentia immediatè in effectum influat, non secus ac si causae partiales essent. Et quamuis Deus possit solus totum effectum producere, tamen quando cooperatur causae secundae, non adhibet tam fortem & plenum influxum, sed modicum & veluti partialem, vt creatura etiam in agendo suas partes relinquat. Sicut cum vir robustus iuuat puerum in onere portando, ita se accommodat, ita temperat suum auxilium, vt puer etiam aliquid conferat; sic vt oneris gestio ab vtroque partialiter procedat.

Rursus, sicut cum causae partiales eiusdem generis concurrunt ad eundem effectum in exemplis praedictis, non est putandum, hanc partem effectus fieri ab hac causa partiali, illam ab illa (nam multi effectus sunt omnino simplices, vt patet in visione, intellectione, volitione) sed totus effectus secundum omnes suas partes est à singulis causis partialiter influentibus, & veluti dimidiatas vires dimidiatosque influxus conferentibus. Eodem modo cum causa prima & secunda concurrunt, non est existimandum, aliam partem effectus, aut alium gradum esse à causa prima, alium à secunda:

*Explicatur
exemplo cau-
sarum par-
tialium.*

*a^b Hec intel-
lige iuxta sen-
tentiam pro-
babilem eo-
rum qui po-
nunt species
visuales &
intelligibiles
effectiue cū
potentia con-
currentes.*

*Totus effe-
ctus est à sin-
gulis causis
partialibus.*

cunda: sed totum quoad omnes partes & gradus esse à prima, & totum à secunda; utraq; causa veluti partialem influxum præbente. Sicut tota visio est à potentia visiva, & tota à specie visiva: totus actus charitatis à voluntate, & totus ab habitu supernaturali: totus motus navis, totusq; impetus illi impressus ex quo motus sequitur, est ab hoc trahente, & totus ab illo. Sicut enim tota vis necessaria ad productionem effectus potest esse in vna re, ita potest interdum esse veluti diuisa in duobus: & tunc illa duo erunt causæ partiales, & constituent vnā causam integram. Pari modo influxus vnius causæ potest interdum esse ita plenus, vt sufficiat ad productionem effectus; interdum ita tenuis, vt nihil valeat nisi influxus alterius causæ ei sit coniunctus. Talis est vis & influxus omnis creaturæ sub Deo.

Hi concursus non sunt res distinctæ.

Hinc patet, concursus Dei non esse rem aliquam distinctam à concursu causæ secundæ, cum vnum eundemque simplicem terminum habeant: sed productio vnius eiusdemque rei, vt est à Deo, dicitur concursus Dei; vt est à causa secundæ, dicitur concursus causæ secundæ. Itaque solum distinguitur per respectum & dependentiam à causa. Idem cernitur, quotiescumque simplex effectus à duabus causis partialibus procedit. *Productio* enim rei non distinguitur ab ipsa re producta, sed est ipsa res spectata vt in fieri, seu vt dependens in primo instanti à sua causa. Quare cum in re producta non sit aliqua distinctio realis, neque in ipsa productione, aut inter ipsos concursus vlla distinctio realis erit.

Quid productio.

Singulis causis partialibus aliquid in effectu respondet.

Semper tamen quando plures causæ partiales, vel quasi partiales, ad eundem effectum concurrunt, singulis respondet aliqua propria ratio formalis in effectu, quæ per se primò in talem causam sit referenda; verbi gratia, cum potentia videndi vnà cum specie visibili producit visionem albi, in illa visione multa considerari possunt, vt, quòd sit talis speciei, quòd sit visio, quòd actus vitalis, quòd hîc & nunc fiat. Et quidem quòd illa visio sit talis speciei, id est, quòd potius sit albi quàm nigri, habet à specie visibili; quòd sit visio potius quàm auditio, vel alterius potentie operatio, habet à potentia videndi; quòd sit actus vitalis, habet ab anima, siue à potentia, vt est vis animæ; quòd hîc & nunc fiat, habet à libertate voluntatis, vel quia contingit hîc & nunc applicari obiectum. Simili modo quòd dilectio Dei sit supernaturalis, habet à gratia præueniente, vel habitu charitatis; quòd sit dilectio potius quàm actus alterius speciei, habet à libertate voluntatis determinantis se
potius

potius ad hanc speciem, quàm ad aliam; quòd sit actus liber, similiter habet à libertate voluntatis se pro hoc tempore & loco determinantis.

Pari modo, quia causa prima & secunda concurrunt veluti cause partiales, assignandum est aliquid in effectu quod utriusque proprie respondeat. Quare cum Deus concurret ut causa prima & maximè vniuersalis, ei respondebit tamquam proprius effectus in re producta, illa ratio quæ maximè est vniuersalis: effectus enim vniuersales attributione, referendi sunt in causas vniuersales causalitate, maximè autem vniuersalis est ratio essendi: hæc igitur in omnibus rebus proprie & per se primò est à Deo, quod etiam multis locis alta mente tradit S. Thomas, ut supra num. 14. ostensum, neque rectè à quibusdam oppugnatur. Rationes verò particulares referendæ sunt in causas secundas, ut ex prædictis exemplis constat. Itaque quòd res illa quæ producta est, sit aliquid particeps esse & essentia, & consequenter, vnitatis, veritatis, bonitatis, habet per se primò à causa prima; quòd autem sit talis speciei vel generis potius quàm alterius, per se primò habet à causa secunda.

Quid causa prima, quid secunda respondeat in effectu conueni.

Consequenter à causa prima & de concursu Dei.

Non ladi libertatem.

18 Ex his patet Primò, Per concursum Dei nullo modo ladi libertatem; quia non est influxus aut impressio in voluntatem ut ipsa est agens, nec vllò modo præuenit influxum liberum voluntatis in actum; sed eum comitatur, ita ut simul cum influxu voluntatis sit vna simplex & immediata productio actus volitionis aut nolitionis, &c. Vnde non magis adfert necessitatem voluntati quàm concursus habitus supernaturalis. Sicut enim habitus ita coniunctus est voluntati, ut eius influxus in actum sit in potestate voluntatis: ita Deus se eo modo voluntati accommodat & coniungit, ut concursus & influxus eius sit in voluntatis potestate. Cum enim intimè sit præsens rebus omnibus, easque suo substantificò influxu conferuet, omnibus esse & vigorem impertiens; non est ei difficile ita se illi attemperare, ut vnà cum illis operetur, easque iuuet.

19 Patet Secundò, Concursui diuino non esse imputandum quòd actus sit prauus, vel talis speciei, ut si rationis vsus adsit, non nisi prauus esse queat: quia concursus diuinus quatenus à Deo est, non tendit ad talem speciem actus, sed potius ad opus bonum; nam in eum finem à Deo datur: sed concursus voluntatis illum determinat & restringit contra intentionem Dei ad illam speciem; sicut vis quæ est in semine, suo influxu flectit & restringit influxum

Concursus Dei generalis non est causa cuius sit huius vel illius speciei.

Z solis

solis ad hanc vel illam speciem plantæ producendam. Quare non est dicendum simpliciter, affectum furti, fornicationis, homicidij, odij esse à Deo, vel Deum esse causam & auctorem talis affectus, vel talis actus positiui, secundum suam speciem considerati. Talis enim modus loquendi denotat intentionem vel causalitatem determinatam. atqui Deus actum illum non intendit in specie, nec cupit illum fieri, sed grauius prohibet: non enim solum odio habet & prohibet ipsam malitiam operis, sed etiam opus ipsum, cui necessarium malitia in eo qui ratione utitur, connexa. Vnde etiam in tale opus non præbet influxum ex se determinatum ad speciem talis operis, sed indeterminatum; qui non sufficit vt simpliciter dicatur auctor illius operis. Hinc nemo Catholicus dixerit, Quod in me sit affectus adulterij, vel homicidij, id à Deo prouenit; Deus est mihi causa vel auctor talis affectus. Quam ob causam S. Augustinus expressè docet, tales motus & affectus non esse à Deo, nec Deum esse illorum auctorem; quia, inquit, talis motus peccatum est. vide illum lib. 12. Confessionum cap. 11. & lib. De perfectione iustitiæ, ratiocinatione quarta, vbi etiam dicit, tales motus *non esse res*, sed nec censendos in numero rerum, quando dicimus rem omnem esse à Deo, & Deum auctorem esse omnis rei. Possunt tamen huiusmodi locutiones admitti cum hac limitatione, vt dicatur esse à Deo *vt à causa vniuersali*, qui solum influxu generali ad illos motus cooperatur absque intentione talis motus, vt eruditè tradit Molina 1. p. q. 19. a. 6. disput. 3. Talis enim modus causandi non sufficit vt possit simpliciter dici causa vel auctor illorum motuum secundum propriam speciem. Nec obsistat quod Deus sit causa vniuersalis effectuum qui ab aliis causis fiunt, vt fructuum terræ, procreationis animalium, ventorum, &c. & tamen propriè dicatur illorum omnium auctor, & omnia illa facere ac producere: quia non solum est causa istorum vniuersali concursu, sed etiam peculiari virium ad hos effectus institutione. vnde etiam si non præberet concursum (vt volebat Durandus) nihilominus absolutè diceretur illorum auctor. secus est in re proposta: quia vires liberi arbitrij non instituit ad tales actus, nec præbet concursum vt tales actus fiant. Potest tamen dici auctor istius operis quatenus est res quædam, vel etiam vt est actus voluntatis in genere: nam concursus quem præbet Deus voluntati, per se primò tendit ad esse, & datur eo fine vt eliciatur actus aliquis vitalis à voluntate: datur enim concursus à Deo rebus singulis, vt operationes naturæ suæ

suæ consentaneas edant. Vnde operationes illæ ita in genere spectatæ, & secundum genericam illam rationem sunt intentæ à Deo, & Deus earum auctor dici potest. Hæc de concursu, instituto nostro sufficiant.

Tertio colligitur, quanta sit hac in re Dei benignitas, qui ne creaturæ iam factæ remanent inutiles, & tamquàm mortuæ, omni sensu, motu, vigore, energia destitutæ, benignissimè se illis applicat, illas ad omnes actiones iuvat, illis ubique cooperatur, & cum illis assiduè dies noctesque veluti laborat, idque hominis potissimum causa, propter quam tota creatura corporalis est instituta.

Quarto, quanta sit creaturæ ad Deum subiectio, quanta in omnibus dependentia. Nam ratione necessitatis huius concursus, nihil omnino nec boni nec mali sine singulari Dei nutu fieri potest: & omnes causæ creatæ à suis functionibus absque vlla vi, solo concursu denegato, suavisimè impediri possunt.

Quinto, causas omnes secundas triplicem habere à prima dependentiam. Primo, ratione virium acceptarum. Secundo, ratione assidue conseruationis. Tertio, ratione concursus. Nemo igitur in seipso gloriatur, nemo suam sapientiam, potentiam, virtutem, robur iactet, cum etiam in minimis à Deo pendeat, & sine ipsius ope, ne manum quidem mouere queat.

CAPVT V.

De prædeterminatione seu decreto diuino.

20 **T**ERTIVS actus pertinens ad gubernationem est *prædeterminatio* seu *decretum*. Est autem *prædeterminatio* Dei, (Græci *προορισμός* vocant) æternum Dei decretum, quo statuit ut aliquid fiat in tempore siue à se, siue à creatura. Itaque est actus internus & liber diuinæ voluntatis, respiciens objecta quæ extra Deum. Verum ut respicit primam rerum originem & conditionem, non pertinet ad gubernationem, neque inter actus gubernationis censeri debet, sed ad primam institutionem, qua ea quæ gubernanda sunt, instituuntur: eiusque opus externum est *creatio*. Sed ad gubernationem pertinet quatenus extendit se ad ea quæ postea circa creaturam, vel à creatura agenda sunt.

Notandum autem est, longè aliter esse prædeterminata, quæ initio mundi à Deo sunt creata & instituta, aliter quæ successu temporis

*Possit peccare,
an præfinitum
à Deo.*

*Augustinus
l. 12. D. Ciu.
c. 1. & 6.
Fulg. l. De
fide ad Pe-
trum c. 3.*

poris in mundo erant futura. Quæ enim initio sunt instituta, prædefinita fuere absoluta & efficaci voluntate, ante omnem prævisionem determinationis causarum secundarum cum omnibus suis circumstantiis & conditionibus; nimirum, ut fierent ista non alia, tali momento, in tali spatio, tali mensura & forma, tali situ & ordine, talibus viribus & qualitatibus. Hæc omnia distinctissimè ab æterna mente concepta, & sic absolutè decreta, & ex vi æterni decreti initio mundi sic condita & formata. Hoc tamen intellige de conditionibus rerum quæ perfectionem insinuant, non quæ defectum; ut esse corruptibile, posse peccare, posse annihilari. Hæc enim non sunt per se intenta à Deo in rebus, sed permissa tantum, & quasi necessitate materiæ obuenientia. Ideò enim res potest dissolui, quia ex elementis composita; ideò annihilari, quia ex nihilo; ideò peccare, quia non est sua regula, nec suæ regulæ necessariò coniuncta: vel si ulteriores causas requiris, quia ex nihilo. Itaque ex vi intentionis diuinæ res non sunt huiusmodi.

Quæ verò postea fiunt in rebus ferè aliter prædefinita sunt. Primo, Quia ferè præfinita sunt, supposita prævisione alicuius conditionis in causa secunda à libertate eius dependentis. Hoc enim bona gubernatio postulabat, ut nihil in cursu primæ institutionis mutaretur, nihilque noui adderetur, nisi ex aliqua causa de nouo exorta: quæ causa non poterat esse nisi ex libero arbitrio; reliqua enim omnia sequerentur necessariò ex prima institutione. Deinde, non ita absolutè, sed multa sub conditione, & cum assidua dependentia à determinatione voluntatis creatæ. Tertio, In plurimis adiaphorum est Deo, sic an sic res fiant. Præcipuè autem difficultas est de operibus bonis, quomodo à Deo sint prædefinita: ex modo enim præfinitionis illorum, facile intelligi poterit quomodo indifferentia & plerique effectus rerum naturalium præfinita sint. Damascenus l. 2. Fidei orthodoxæ c. 30. videtur simpliciter negare ea esse à Deo præfinita: Πάντα μὲν, inquit, ὁ Θεὸς ἔκτισεν ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ἀπὸ τοῦ ὕδατος καὶ ἀπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, ἀπὸ τοῦ φωτὸς καὶ ἀπὸ τοῦ ἀέρος, ἀπὸ τοῦ ἕρματος καὶ ἀπὸ τοῦ ἰσχυροῦς, ἀπὸ τοῦ ἰσχυροῦς καὶ ἀπὸ τοῦ ἀσθενοῦς, ἀπὸ τοῦ ἰσχυροῦς καὶ ἀπὸ τοῦ ἀσθενοῦς, ἀπὸ τοῦ ἰσχυροῦς καὶ ἀπὸ τοῦ ἀσθενοῦς. Omnia quidem Deus, prænoscit, non omnia tamen præfinit: prænoscit enim ea quæ in nostra sunt potestate, non tamen ea præfinit. Quidam putant illud præfinit, hic ita accipi à Damasceno, ut sit idem quod necessitatem adfert: & ipsum solum velle, Deum non adferre necessitatem operibus nostris. Verùm aliud est προνοεῖν, præfinit, aliud ἀναγκάζειν, necessitatem adferre. Præfinitio enim est in Mente diuina, utpote decretum seu volitio diuina: necessitas verò, seu actio

actio qua necessitas infertur rebus, est in ipsis rebus. Vnde nemo unquam istis nominibus ita usus est, ut *εσθελ* sit idem quod *νεσσιταρε*, seu *νεσσιταρεμ* adferre. Itaque loquitur Damascenus de decreto diuino, non quolibet; sed quo ante prauisionem determinationis causæ secundæ, ex se aliquid absolute decernat & statuat. Hoc enim est proprie *εσθελ* seu *πρσφινιρε* seu *πρσδεφινιρε*. Hoc modo non prædefinit omnia, et si omnia prænoscit. Quia non prædefinit ea quæ sunt in nostra potestate, & pendent à libertate arbitrij nostri. Probat Damascenus, Deum hæc non prædefinire. *Quia, inquit, non vult malitiam seu peccatum, neque cogit ad virtutem.* Ibi insinuat, duo requiri ad præfinitionem. Primo, Vt Deus velit illud fieri. Secundò, Vt velit absolute; ita vt si homo spontè non faciat, illum cogat & necessitet. Itaque etsi ex absoluta præfinitione secundum Damascenum sequatur coactio vel necessitas, non tamen idcirco præfinit idem est quod necessitare vel cogere.

Duobus tamen modis possunt opera bona dici prædestinata & prædefinita. Primò, Præfinitione non absoluta, sed conditionata; idque ante prauisionem determinationis nostræ voluntatis. Desiderat enim vehementer vt opera bona faciamus, & in hunc finem nos excitat variis modis internis & externis. Secundò, Præfinitione absoluta, supposita prauisione nostræ determinationis, vel ea comitanter se habente. Cum enim ante prauisam nostram determinationem prædefiniat nostra bona opera ex hypothesi, si nostra voluntas se ad illa velit determinare; posita illi hypothesi, illa prædefinitio conditionata transit in absolutam, & fit efficax, ita vt simul cum nostra voluntate influat in opus. Mala tamen non sic vult, ne sub conditione quidem: quia non desiderat ea fieri; neque vt illa fiant, vires & concursum præbet, nec villo modo approbare potest: sed tantum permittit, iuxta illud Habacuc 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Ne videas*, id est, ne approbes, ne velis aliquid quod sit iniquum & legi diuinæ contrarium. Quod autem bona opera non sint in particulari prædefinita absoluto decreto ante prauisionem absolutam determinationis nostræ voluntatis, fusè à nobis ostensum est in Tractatu de Prædestinatione n. 17. & sequentibus: quæ omnia ex hoc loco in illum transtulimus. est enim illa quæstio magni momenti in Theologia; & ideo prolixius ibidem tractata, neque hic repetenda.

CAPVT VI.

De Permissione.

Quartus
actus, Per-
missio.

QUARTVS actus ad gubernationem pertinens, est *permissio*. Est autem permissio proprie non actus internus in Deo sicut decreta, sed externus; accepto nomine *actus* late, vt comprehendit etiam liberum *non-agere*. Aliud enim est permittere, aliud velle non impedire. Alioquin si permittere esset formaliter velle, cum dicimus, Volo permittere, esset reflexio voluntatis super suum actum, & significarem nos habere volitionem volitionis non impediendi, quod non est verum: tantum enim significamus nos habere volitionem non impediendi.

Quid per-
missio.

Est igitur *permittere* idem quod non impedire, cum tamen facultas impediendi suppetat. Pertinet proprie ad ea quæ vel displicent (in quibus subest aliqua impediendi ratio) vel sunt adiaphora, ita vt non curemus, fiant nec ne, sic fiant, an aliter, &c. Nemo enim dicitur proprie *permittere* fieri, quæ fieri cupit. Itaque vt proprie & in actu secundo aliquid dicatur permitti, requiruntur quinque.

Quinque
requisita ad
permissio-

quæ. Primò, Vt displiceat permittenti, vel illi sit adiaphorum, vt dictum est. Secundò, Vt sit euenturum, nisi causa impediatur. quod enim non est euenturum, proprie non est permissum, nisi in actu primo, quatenus causa non fuit impedita, quò minus posset illud sicut alia facere vel producere. quo modo Deus dicitur sinere res agi suis motibus, dum illas non impedit, quin secundum naturam suam conditionem quilibet operentur: quo etiam modo ex consequenti, & secundario sunt permilla multa mala, quæ homo potest facere, & non facit. Tertio, Vt sciat euenturum nisi ipse impediatur, si enim nesciat euenturum, non potest dici voluntarie & in particulari permissum. Quarto, Vt adsit facultas impediendi. Improprie enim dicimur permittere solem moueri, cælum pluere, &c. Quintò, Vt nos, vel voluntarie omittas impedire; siue vt te non opponas, sed sinas rem fluere suis motibus. qui enim se opponit & conatur impedire, non dicitur permittere, etiamsi res eueniat.

Permissio est
quid tem-
porale.

Ex his patet Primò, omnem permissioem proprie fieri in tempore. Sicut enim actus impediendi, quo aliquis effectus impeditur ne fiat, est temporalis: ita actus permissiois, qui consistit in non impediendo, est que negatio operationis positiois, temporalis est, &

co-

coëxistit causæ, quæ suis motibus agi finitur, eiusque operationi.

Patet Secundò, Omnem permissionem diuinam non minus quam operationes Dei positivas cadere sub æternum Dei decretum. Sicut enim Deus nihil facit in tempore, nec vllum creaturæ effectum impedit, quin decreuerit illud facere vel impedire ab æterno: ita etiam nihil omnino permittit, quin illius permissionem ab æterno decreuerit. Itaque nullum committitur peccatum in mundo, quin Deus in particulari ab æterno permittere statuerit.

*Cadit sub
decretum
diuinum.*

26 Patet Tertio, Sicut omnis Dei operatio est bona, & ob eam est laudandus & benedicendus; ita quoque omnes ipsius permissiones bonas esse, & ipsum ob eas laudibus celebrandum, quamuis ea quæ permittit, detestanda & pessima sint: habet enim iustissimas & sanctissimas rationes cur mala permittat. Vnde D. August. in Enchirid. c. 96. *Non sit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum, Deum bene facere, etiam fieri sinendo quæcumq; sunt malè. Non enim hoc nisi iusto iudicio finit.*

*Omnis Dei
permissio bo-
na & laude
digna.*

*Cur Deus
permittat
mala, pra-
sertim culpa.*

27 Prima causa est generalis; quia decet gubernatorem vniuersalem & supremum, vt postquam res omnes optimè & sufficientissimè ad omne bonum instruxit, sinat eas agi suis motibus: alioquin auxilium collatum non videretur fuisse sufficiens, & bonum opus videretur coactum, nec esset tanta laude dignum. Secundò, Vt creatura rationalis sese excitet ad bonum faciendum & malum vitandum, semper intenta & sollicita ne gratiæ diuinæ desit. quòd si Deus nullum peccatum permitteret, cessaret illa sollicitudo, & Deo committerentur omnia. Tertio, Quia ex malo nouit elicere maxima bona. Hæc est causa non finalis, sed sine qua non permissionis mali. Vnde S. August. in Enchiridio cap. 11. *Neque, inquit, Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, cum summè bonus sit, villo modo fingeret mali aliquid esse in opere suo, nisi usque ad eò esset omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo.* Bonum autem quod ex malo elicit, est multiplex. Primò, Est ostensio diuinæ iustitiæ, quæ in castigatione peccatorum maximè splendet; & magnitudinis diuinæ Maiestatis, quæ tanta est, vt vel vnicum peccatum mortiferum, eò quòd contra illam committitur, mereatur æternam poenam.

*Prima causa
generalis per-
missionis
malorum
culpæ, vt ple-
na relinquatur
libertas.*

28 Secundò, Ostensio diuinæ misericordiæ, quæ in remissione peccatorum cernitur. Tertio, Incarnationis mysterium, vniò hypostatica, Christi humanitas, & quidquid ille pro nobis fecit & pertulit: quæ omnia occasione peccati sunt constituta. Vnde occasione peccati multò magis gloria Dei est illustrata, quàm si nullum vnquam pecc-

*Qua bona ex
malo eliciant
Deus.*

peccatum fuisset. Quartò, Peccatis impiorum utitur ad profectum & maiorem gloriam saluandorum. Sic malitia tyrannorum vsus est ad exercitium & gloriam Martyrum. Si enim nulli fuissent tyranni, careret Ecclesia gloria martyrij: si nulli hæretici, non ita probata & illustrata esset fides Ecclesie. Vide hæc de re S. August. Epist. 141. & 157. & Tract. 90. in Ioan. & in Psal. 54. Quintò, Utitur ad castigationem aliorum. Sic vsus est malitia Regum Assyriorum, Chaldæorum, Egyptiorum, Romanorum, & aliorum ad castigationem populi Israelitici. Utitur autem non incitando, sed permittendo ut diabolus illos incitet. Simili modo utitur malitia diaboli ad exercitium sanctorum, & punitionem peccatorum, quæ de re vide pulcherrimum locum August. Sermon. 3. De Machabæis. Sextò, Sæpè permittit peccatum in vindictam & punitionem alterius peccati, ut colligitur ex Apost. ad Rom. 1. & hac ratione peccatum dicitur poena peccati; non quod ipsum propriè sit poena, cum non sit à Deo puniente intentum: sed quia permissione eius poena est, à Deo volita in vindictam, ex qua permissione per accidens aliud peccatum sequitur. Cum enim homo per prius peccatum se facit indignum inspiratione & protectione diuina; Deus eam subtrahit, id est, non præbet, ut alioquin fecisset, & ita miser in alia peccata labitur, quæ per gratiam illam euasisset. Nam *permissio peccati*, nihil est aliud, quam non dare illam gratiam, per quam peccatum fuisset impeditum. Septimò, Interdum permittit Deus hominem in aliquod peccatum labi, ut teporem ipsius vel præsumptionem emendet. Vnde S. August. Sermon. 53. De verbis Domini: *Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, ut in eo ipso in quo se extollunt, humiliantur.* Sic cum quis putat se satis fortem, & de se præsumit, ut Petro accidit, nec cum timore & tremore salutem suam operatur, utiliter permittitur labi, ut suam miseriam agnoscat, & humiliter de se sentiat. Sic multi Sanctorum occasione lapsus alicuius, postea cautiore, feruentiore, & humiliores fuere. Denique bonum elucet & splendet ex comparatione mali, ut dicit Augustinus in Enchirid. c. 11. *Malum bene ordinatum & suo loco positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant & laudabiliora sint, dum comparantur malis.* Ex his constat, maxime pertinuisse ad diuinam prouidentiam, permissionem malorum, vnde tanta bona redundarunt.

Dixi hæc bona non esse causam finalem permissionis peccati, 3^o sed *sine qua non*: quia nullum bonum, quod ad sui executionem requirit

*Peccatum
posterius est
poena prioris
ratione per-
missionis
qua poste-
rius permittitur in po-
enam prioris.*

*Permissio
peccati quid
sit.*

quirit vel supponit peccatum, potest per se appeti vel intendi à Deo priusquam sit peccatum, sed solum appetitur supposito peccato. Tale bonum est, quod per se est remedium peccati, sicut *penitentia*, vel *castigatio peccati*; sicut poena tum huius vitæ, quæ est medicinalis; tum futuræ vitæ, quæ est pura vindicta: vel *exercitium & patientia piorum* ex afflictionibus irrogatis ab impiis: vel *ostensio misericordie* in condonandis peccatis, aut *iustitie* in puniendis: vel humiliatio hominis per proprii lapsus considerationem; vel quid simile, quod sine peccati interuentu non potest executioni mandari. Nihil horum Deus ex se cupit, nec captat occasionem ut talia faciat, aut ut talia fiant priusquam sit peccatum: imò ex se optat ut numquam talium bonorum detur occasio. Supposito tamen peccato, illa bona desiderat & intendit: quia tunc illa rationem boni & desiderabilis obtinent, & eorum executio sine peccato fieri potest. Itaque dicuntur hæc *volita non voluntate antecedente*, quam Deus ex se concipit, & tantum ad ea, quæ per se bona sunt, pertinet, sed *consequente*, quæ ex nobis occasionem accipit, ut inquit Damascenus l. 2. De fide orthodoxa cap. 29. Ex quibus perspicuum est, permissionem peccati (cum ipso peccato sit prior) non provenire ex affectu quo Deus cupiat ista bona, ita ut hæc sint proprie finis illius permissionis: sed solum habere rationem causæ *sine-qua-non* respectu illius permissionis.

Bonum supponens peccatum, non est per se expectandum.

Voluntas antecedens.

Voluntas consequens.

31 Quod ut melius percipiatur, considerandum est, dupliciter posse aliquod malum permitti. Primò, Ex desiderio ut eveniat, nimirum ut inde habeas occasionem alicuius boni eliciendi; ut si Medicus permittat morbum ingrauescere, ut ex curatione plus lucretur, vel artem suam magis ostendet. & tunc ipsum malum directè est volitum, ut sit occasio illius boni. Secundò, Non ex desiderio ut eveniat (imò displicet si euenit) sed ob aliam causam, verbi gratia, ne videaris importunus (quo modo qui aliorum curam gerunt, nonnulla interdum permittunt;) vel ut cognoscas conditionem hominis; ut cum pater permittit filium furari, ut eius indolem exploret, & si furetur corrigat. Hoc modo Deus permittit peccatum, et si summopere illud displiceat, habet enim iustissimam causam permittendi, ut antè dictum est; nimirum, ut res finantur agi suis moribus; & vires quas ab ipso acceperunt, sponte in opus exerant. Ob hanc tamen causam (quæ est eius bonitas) tantum malum non permitteret, nisi sciret ex illo aliud donum elicere: & ita hoc bonum est causa non finalis, sed *sine-qua-non* istius permissionis. quod

Duplex permissio mali.

A a apertè

apertè indicat S. Augustinus in Enchiridio cap. 11. quem suprà adduximus.

Quo modo peccata cadant sub diuinam prouidentiam.

Actus diuina prouidentia circa peccatum versantur.

Nihil fugere potest prouidentiam diuinam.

Patet quartò, Etiam si peccata non sint opera diuinæ prouidentia, neque ex prouidentia vi proueniant, cum nullo modo à Deo sint volita, neque vires eo sine naturæ rationali contulerit; non tamen fieri absque diuina prouidentia (hæc enim valde sunt distincta, fieri per diuinam prouidentiam, & fieri non sine diuina prouidentia) sed verè & propriè sub diuinam prouidentiam cadere. Primò, quia sine permissione & concursu diuino fieri nequeunt: atqui permissio est actus diuinæ prouidentia, supponens decretum permittendi & præscientiam conditionalem, qua præuidet futura si permittantur. Similiter concursus est actus diuinæ prouidentia supponens decretum & præscientiam. Deinde, quia peccatum est veluti materia, ex qua diuina prouidentia multa bona elicit, vt ostensum est. Ex quibus constat, etsi Deus nullo modo velit aut decernat peccatum, multos tamen diuinæ prouidentia actus circa illud versari. Primus est, scientia conditionalis qua præuidet illud futurum si permittatur, & notitia distincta rationum omnium cur possit meritò permitti. Hic actus est in hoc ordine veluti fundamentum. Secundus est, voluntas permittendi, & concursus generalem præbendi. Tertius est, cognitio quasi abstractiua illius peccati tamquam absolutè futuri. hæc enim cognitio sequitur immediatè ex decreto permittendi, supposita præscientia conditionata. Quartus est, visio intrinseca absoluta illius peccati. Quintus est, voluntas vindicandi, parcendi, aut alia bona inde eliciendi. Sextus est, permissio temporalis & concursus. Septimus, punitio, vel condonatio illius peccati: ex qua sequitur admiratio, laus iustitiæ diuinæ vel misericordiæ, aliaque bona quæ in tempore Deus ex peccatis elicit. Quare perspicuum est, etiam si Deus opera peccatorum non prædefiniat, non idè otiosè tamquam spectatorem quemdam se ad illa habere, quasi nihil ad ipsum pertineant, sed vndique eius prouidentiam se illis ingerere.

Patet quintò. Nullam omnino rem posse amplitudinem diuinæ prouidentia egredi & effugere, sed omnia eius ambitu concludi. Omnes enim causæ, quantumuis magnæ vel paruæ, ita diuina potestate continentur, vt absque eius nutu & concursu, nulla vel in minimum actum motumve possit emicare. Vnde S. Augustinus in Sentent. apud Prosperum: *Voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium spiritualiumq; motionum. Nihil enim fit visibiliter*

ter & sensibiliter, quod non de inuisibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut iubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam premiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturæ amplissima quædam immensaque Republica. & in Enchirid. cap. 96. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Et quamuis peccatores nitantur se diuinæ prouidentię & dispositioni subtrahere, non tamen possunt: dum enim subtrahunt se ordini diuinæ directionis, incidunt in ordinem castigationis, & dum subtrahunt se benignitati misericordiæ, incurrunt in seueritatem iustitiæ, & dum nolunt Deum honorare bonis operibus, coguntur honorare perpetiendis suppliciis, denique, dum nolunt ei sponte subesse obediendo præceptis, coguntur subesse inuiti in sustinendis tormentis.

CAPYT VII.

De malorum impeditioe.

QVINTVS actus gubernationis est, *multorum malorum impeditio.* Tot enim & tanta mala, posito semel peccato, à causis creatis irruerent, ut nisi per diuinam prouidentiam impedirentur, breui mundum perderent. Ac primùm infinita mala impedit, quæ quisque in seipso esset factururus, & quibus suam animam grauissimè damnaturus. Nam, ut inquit S. Augustinus, *Nullum malum facit homo, quod non faceret alius homo, nisi eum custodiret gratia illius, qui pro nobis factus est homo.* Quisque id in seipso facile aduertit, cum variorum peccatorum occasiones propinquas vel remotas, in quibus aliquando fuit, considerat. Itaque gratiæ diuinæ imputare debet non solum bona quæ fecit, sed etiam mala quæ vitauit: ut quod in hæreses non inciderit, quod libidinis barathrum vitauerit, quod homicidia, furta, sacrilegia, &c. non commiserit. nisi enim Deus hominem à pueritia protegat, occasiones malorum auertat, salutaria inspiret, & cursum vitæ dirigat, facile in quæuis peccata incidit. Secundo, Impedit infinita mala quæ diabolus esset illaturus. vnde Dominus Luc. 22. ait: *Simon, Simon, expetiuit vos satanas, ut cribraret tamquam triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Tanta enim est diaboli potentia, ut facile omnes mortales posset peruertere, omne religionem extinguere, omnia sacra & cultui diuino dicata vastare, & omnia hæc inferiora turbare, miscere, perdere; nec deest ei ad hoc incensa voluntas: sed

per diuinam prouidentiam furor illius tamquam vinculis quibusdam cohibetur, & potentia comprimitur, vt ne hilum quidem amplius valeat, quàm Deo manum suam laxare placuerit, vt perspicuum est ex Historia S. Iob, cui absque peculiari Dei concessu ne minimum quidem nocere poterat, non solum in corpore, sed neq; in rebus externis & possessionibus. & ex historiam legionis dæmonum, quæ expulsa ab homine rogauit Dominum vt permitteret inuadere porcos: Matthæi 8. & Lucæ 8. Ita enim à Deo continentur sicut furiosi canes vel leones, quos moderator sic cōstrictos tenet, vt nihil possint, nisi quantum ipse permittit, vinculum laxando, vel contrahendo. Simili modo continet vim impiorum ne Ecclesiam euertant, & omnia sua impietate inficiant.

*Quomodo
Deus uiuatur
impis.*

Ex quo facile intelligi potest, quò modo dicatur illis uti ad aliorum exercitium vel castigationem: non enim ad hoc opus est incitatione aliqua occulta, aut motione; absit à Deo tantum nefas: sed sufficit vt manum qua illos cohibebat, remittat, & vires compressas relaxet, sinatq; ferri suis motibus; cohibendo tamen ne ad alia, aut aliter id fiat, quàm ipsi placuerit permittere. Etsi enim Iudææ malitiæ habenas dedit in Christum scruendi, non tamen quouis modo illos scruire permisit; sed ita continuit, vt nec alia nec aliter id facerent, quàm mysterio illi congrueret, idque vel alias cogitationes impediendo, vel alias opportunitates subtrahendo, vel etiam, si fortè opus fuit, obiecta quædam eò pertinentia phantasiæ offerendo: quamuis hoc tertium credibile est, non per se, sed per diabolum sola permissione sua effecisse, quando res mala erat. Etsi enim, cum malitia alicuius est in genere ad malum inferendum determinata, non sit per se malum, obiectum animo obiecte, verbi gratia, hominem, vel instrumentum, vel tormenti genus; tamen non videtur ita conueniens, vt Deus id per se faciat; sufficit vt diabolo id facere permittat. Itaque non sine singulari diuinæ prouidentia dispositione accidit, quòd Dominus in sua passione ab omnibus Apostolis desertus, quòd à Petro negatus, quòd ab Herode veste sba indutus, quòd sub specie castigationis tamquam dimittendus tam durè flagellatus, quòd spinis coronatus, quòd arundo potius quàm baculus veluti sceptrum in manus ei tradita, quòd ad crucem potius quàm ad lapidationem damnatus, quòd homicida pro eo dimissus, quòd extra ciuitatem in monte versus Occidentem inter duos latrones (quorum alter qui saluandus erat, ad dextram, alter qui damnandus, ad sinistram positus) fuerit

*Mysteria
passionis
Christi, quo
modo à diuina
prouidentia
dispositione
contingunt.*

fuerit crucifixus, quod felle & aceto potatus, & alia huiusmodi. Omnia enim hæc mysterium continent, omnia res arcanas significant, ut ex sanctis Patribus constat. Vnde sine singulari Dei dispositione, qui per ea nos instruere & occultâ significare voluit, non acciderunt: quæ dispositio in eo consistit, quod Deus voluit sic permittere, non aliter, id quod auferendo opportunitates, vel impediendo cogitationes quibus aliter fieret; sciebat enim infinita vi penetrantis omnia scientiæ suæ, malitiam Iudaicam se ad omnia hæc supplicia inflexuram, si ipse permitteret, & quasdam alias cogitationes vel opportunitates submoueret, qua supposita voluit sic permittere, & sese, ubi opus esset, inferere.

37 Petat aliquis, quomodo diabolus impediatur, a Deone immediate, an per Angelos, & qua ratione? Respondeo, quatuor modis impediri posse. Primò, Angelorum ministerio, quibus hominum custodia est commissa. Hi enim omnes dæmones vident, & quid moliantur cognoscunt, & ubi periculum imminet, statim adesse possunt. Verum hoc ministerium non videtur sufficere: quia non semper adsunt dæmonibus ut eos coercerent. Itaque tunc possent vires suas exercere, & grauissima mala inferre, diruendo domos, occidendo homines & animalia, excitando incendia. Plurima enim mala sunt, quæ breuissimo tempore inferri possunt, ad quæ impedienda, oporteret Angelum semper esse præsentem. Non enim potest abiens dæmonem coercere. Fatendum tamen est, plurima per Angelos impedi, cum ipsi ad hoc dati sint hominibus custodes, ut eos contra dæmonum vim & fraudes tueantur. Ipsi enim dæmonibus sunt formidabiles, utpote iis longè potentiores & celeriores. Sic Raphael impediuit dæmonem, qui septem spon-
 38 sos Saræ occiderat, ne occideret Tobiam, *Apprehendit*, inquit Scriptura, *dæmonium, & reliquit illud in deserto superioris Aegypti*. Sed quibus vinculis illud adtrinxit? non aliis sanè quàm diuinæ potentia, quæ ubique præsens cum sit, dæmonem ibi detinuit, quod cum Angelus vi sua transtulerat. Simili modo multi detinentur in desertis locis, ut insinuat Dominus Luca 11. cum ait: *Ambulat per loca arida & inaquosa*: vel apud inferos, ne hominibus nocere possint; ibique derinentur non per Angelos, sed vi diuinæ potentia. Sic Lucifer ligatus apud inferos ad mille annos, id est, vsque
 40 ad nouissima tempora: Apocal. 20. Secundus modus impediendi est, subtractione concursus diuini. Cum enim non possit nocere, nisi aliqua actione positua, applicando actiua passiuus, vel mo-

Quatuor
modis impo-
ditur dia-
bolus.

Psal. 90.

Tobie 8.

Luca 11.

uendo aliqua suis locis, & ad talem actionem opus sit concursu diuino: si Deus hunc concursum subtrahat, nihil poterit, sed erit instar paralytici viribus destituti. hoc modo Deus facile omnia mala, quæ ipse machinatus, impedire potest. Sic impediuit actionem fornacis Babylonicæ. Tertius modus est, constringendi ipsius vim motiuam, vt ea per quæ nocere cupit, mouere vel applicare ad nocendum non possit. Sicut cum vir robustus tenetur à robustiore ne possit ferire, vel inuadere. Eodem modo ligatur in certo loco, vt non possit egredi. Quartus modus est, per minas & metum ne statim coniciatur in tartarum, ibique detineatur. Valde enim timent dæmones istam pœnam, vt patet Lucae 8. vbi rogant Dominum, ne mittat ipsos in abyssum. Cupiunt enim frui libertate vagandi per orbem, & versandi inter homines vt nocent.

Daniel 3.

His addi potest modus quintus, per cogitationum diuersionem, efficiendo vt aliquid menti non occurrat, vel si occurrit, mens ei non inhæreat: facile enim est Deo id facere. Sic (vt sensit S. Ignatius) diabolus nesciuit Christum ex Virgine conceptum: quia cum videret illam matrimonio iunctam, supposuit illum modo vulgari ex illa genitum, neque venit illi in mentem eam rem ulterius examinare. His ferè modis diabolus impeditur.

Sciendum tamen est, diabolum in multis malis inferendis impediti, ne per se illa possit inferre, quæ tamen ei permittuntur, quando hominum accedit consensus vel cooperatio, vt bene notauit Franciscus Victoria Relectione de Magia, sub finem. Homi- nibus enim viatoribus, quia parum habent virium, & illis ab hominibus resisti potest, multa permittuntur quæ non spiritibus, quibus non possumus resistere: ac proinde interdum quædam illis conceduntur propter hominum conspirationem, vt patet in magis. Sic interdum adducunt ventos, concitant tempestates, necant homines & animalia conspirantibus hominibus cum ipsis: quorum pacto cessante, nequeunt amplius nocere. Hæc de modis quibus dæmones impediuntur.

Tertio Impedit infinita damna quæ ab elementis generi humano sæpè inferrentur, vt à ventis, à fulmine, à grandine, ab imbribus, à siccitate, à terræ motu, ab incendiis, ab eluionibus: imò aqua sola omnia quæ super terram viuunt deleteret, nisi Deus longè maximam eius partem in vaporem tenuem conuersam in aëre suspendisset, & per vastissimas illius regiones diffudisset. Omitto pericula quæ à feris belluis impenderent, nisi Deus illis terrorem humani

humani vultus inieciſſet. Omitto damna, quæ fatis ac frugibus à locuſtis, vermibus, aliifque viliffimis animalculis sæpè irrogarentur, niſi Deus auerteret. Omitto quæ inferrentur ab hominibus, præſertim impiis in pietatis cultores, niſi ſingulari Dei diſpoſitione impedirentur. Exempla habemus in Dauide, quem torannis Saul cum ſuis eſt perſecutus, magno quidem terrore & afflictione Dauidis, ſed irritò conatu, Deo miris modis ipſum protegente. Porrò Dauid typos eſt iuſtorum, Saul impiorum & perſecutorum. Quòd hæc & ſimilia mala hominibus impendentia à cauſis explicatis impediuntur & auertantur, ipſius providentiſſimæ curæ, qua genus noſtrum fouet & protegit, & ſingulos (quantum decet dulciſſimum parentem omnium) tuetur & cuſtodit, vt ad ſalutem æternam adſpirent, deputandum eſt, eiſque gratiæ pro his omnibus referendæ.

CAPVT VIII.

De gubernatione per motum calorum.

- 43 **S**EXTVS actus gubernationis eſt, *calorum motio*. Per hæc enim totam naturam corporalem maxima ex parte gubernat; in qua motione quatuor potiſſimum ſunt conſideranda: velocitas, varietas, æquabilitas, effectus. *Velocitas* eſt pænè incomprehenſibilis: nam ſol, iuxta Aſtronomos, ſingulis horis plus quàm vndecies centena millia milliariū peragit. Vna verò ſtella ſphæ-
7100000.
 ræ octauæ circa Æquinoctialem, eorundem Aſtronomorum iudicio, vna hora percurrit ſupra 42. milliones milliariū, quantum
42000000.
 videlicet eques quotidie 40. milliaria percurrere, annis bis mille
2900.
 nongentis vix conficeret, quanta igitur ſupremæ ſphære mobilis erit pernicitas? Nam hæc incomparabiliter eſt altior, cum Aſtronomi demonſtrent duos calos inter illam & octauam intercedere.
- 44 *Varietas* quoque eſt mira: ſinguli enim planetarum orbès, ſuos habent peculiareſ motus, tardiores vel celeriores, ſuifque temporibus & momentis conſtitutis ambitus ſuos peragunt: & cum ſinguli ſuo nutu ab Occidente tendant in Orientem, nihilominus à primo Mobili rapiuntur omnes quaſi in contrarium, nimirum ab Oriente in Occidentem. hic tamen raptus proprios illorum motus non impedit nec perturbat; ſed optimè cum illis ita con-
 temperatur, vt vno tantum motu cieri videantur. Omitto quæ de motibus planetarum in epicyclis, de motu octauæ ſphære pro-
 priis

prio, & de motu trepidationis dici possent: & utrū planetæ propriū impetum habeant quo ex Occidente concitētur, an solū ita moueri videantur, quōd magis vel minū à sphaerā suprema rapiantur. Satis sit hanc rationem motuum cælestium esse adē admirabilē, vt hæctenus nullum ingeniū eius modos & mensuras assequi potuerit.

Æquabilitas est prorsus admiranda; nulla enim tot sæculis anomolia est notata; sed semper eodem tenore, & pari celeritatis mensura procedunt. Et quāuis planetæ videantur habere interdum motus inæquabiles ratione epicyclorum, & maioris vel minoris elationis supra terram; tamen hæc non est vera inæquabilitas, sed solū respectu centri terræ. Nam & ipsi epicycli semper eadem velocitate circa centrum suum, & orbis deferentes circa suum æquabiliter gyranur, nullo vñquam tempore vel ad momentum quiescunt, nullo velocius aut tardius procedunt; sed eodem tenore, eadem semper pernigitate circumuolant.

*Calorum
motus non
esse ab An-
gelis, sed à
diuina po-
tentia im-
mediatè.*

Hinc meritò alicui videri possint isti motus non per Angelos (et si magni Auctores aliter senserint) sed à solo Deo immediatè regi, & in ea exactissima æquabilitate conseruari. Nam præterquam quōd ad vniuersalem mundi gubernationem pertineat, quā proximè à causa vniuersali ad omnia pertinente, non à particularibus & restrictis pendere par est. Quomodo tam immensæ vastitatis corpora ab Angelis valdè limitatas in orbe vires habentibus, per tot sæcula torqueri possunt; præsertim tam incomprehensibili velocitate, & tam stupenda æquabilitate? Sanè sicut Angelus vnus, vel etiam plures (si tamen pauci sint) non possunt elementa loco mouere, & primariās orbis partes confundere; sic credibile est non posse calos, qui incomparabiliter sunt maiores, tanta celeritate impellere. Si enim sol tanto impetu ferretur iuxta terram, quanto fertur in suo orbe; breuissimo tempore tota terra & mare instar pulueris distraherentur & dissiparentur in auras, vt quiuis ex tractu aeris, quem globus tormento impulsus efficit, colligere potest. Et quāuis ille motus tot millionibus milliætorum absit ab hoc orbe elementari, tanta tamen est illius vis, vt immensam sphaeram ætheris secum rapiat, & vt multi sentiunt, etiam mare vniuersum. Non videtur ergo dubitandum, quin à maxima aliqua vi impellente, quæ Angelicæ naturæ superet conditionem, procedat. Accedit, quōd Angelus iste deberet esse assiduè quasi affixus suo orbi, & summè intentus, vt eadem semper celeritate impellar. Vnde nec posset pro arbitrio adire cælum empyreum, aut visitare homines

in

in terris, aut vllius alterius rei administrationem suscipere, sed semper deberet manere affixus suæ rotæ: quæ sanè non videntur consentanea illorum felicissimæ libertati, & liberrimæ felicitati. Præterea, Angelus non potest se diffundere per totam spheram, & totam vim suam applicare, sed solum alicui particulæ, verbi gratia, quantum est spatium vnius oppidi, aut multò minus. at non est consentaneum, tantam molem concitari tam exiguo & angusto impetu, sed oportet imperum esse diffusum per totum certa proportione; vt sicut singulæ partes mouentur pro ratione sui situs, ita & congruum impetum suscipiant. Si enim tota terra vel totum mare in orbem raprandum esset, non conueniret impetum fieri dumtaxat in exiguam particulam, quanta est vola manus humanæ; sed in totam fieri oporteret, vt suauius & absque conuulsione partium motus fiat. Denique, si Angeli cælestes orbés circumagunt, in potestate eorum esset illos sistere, quod non videtur consonum verbis Domini Iob 38. *Concentum cæli quis dormire faciet?* id est, quis sistet? quasi dicat, nemo præter me id potest. Item in eorum potestate esset, celerius vel tardiùs mouere, & ita totum mundum facillè possent turbare; vnde etiam grauissimo præcepto deberent esse obstricti, vt summam curam adhibeant, ne vniquam vllus sit defectus, nulla inæqualitas, nulla maior minorve concitatio. Est enim res maximi momenti, vnde salus rerum inferiorum pender. Omitto alia quæ in hanc sententiam adferri possent.

47 Itaque valde rationi consentaneum est, vt motus isti tam admirandi, tantæ potentie, & tam vniuersales effectus habentes, à solius Dei omnipotenti manu immediatè pendeant: Angelorum ministerio potissimùm in ipsis hominibus protegendis & dirigendis vt salutem assequantur, & in ferocia dæmonum saluti humanæ insidiantium compescenda vtitur. Vnde Apostolus ad Hebr. i. dicit: *Nõne omnes sunt administratores spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?* Deinde etiam in aliis rebus inferioribus, quæ instabilitatē vel interitui obnoxie, moderandis, vt & earum species continuentur, & ita procedant, vt hominum vltibus, correctioni vel eruditioni congruit.

Angelorũ ministerio quibus in rebus vtiatur Deus

48 *Effectus cælestium motuum sunt omnes pænè corporales motus, & mutationes rerum, quæ in hoc mundo elementari fiunt. Excipio illos motus qui à libero arbitrio, & aliquos qui ab imaginatione animantium pendent, quamuis & hõrum multi etiam in illos motus, veluti in causas, etsi non cogentes, tamen inclinantes, referri possint.*

Effectus cælestium motuum.

possint. Ab illis igitur proueniunt venti & turbines, tonitrua & fulmina, niues & grandines, nubes & pluuia, aestus & frigora, siccitates & inundationes, salubres aurae & pestilentes; tot incendia & phasmata in sublimi, tot colores & picturæ in nubibus. In mari agitatiō illa, qua instar uiuentis assidue se totum nunc in hanc, nunc in illam partem in immenso alueo suo se commouet: præter infinitas tempestates, quibus usque ad imum barathri dehiscere, & mox ad nubium celsitudinem assurgere videtur. In terra tot exustiones & subterranei ignes, tot tremores, tot conclusi spiritus mugitus, & erumpentis horreni fragores; tot fontes & flumina (hæc enim duo nisi aqua pluuia vel niuali per altiora loca colata non perpetuantur;) tot siluæ & loca deserta. Item omnia quæ in terræ visceribus gignuntur; tot nimirum abstrusæ opes, tanta vis auri & argenti, tanta stanni, æris, ferri ac plumbi, & gemmarum omne genus. Et quamuis omnino credibile sit, hæc ab initio fuisse à Deo suis locis condita, tamen non videtur dubitandum, quin vi caelestium corporum ibidem possint succrescere & augeri, materia vicina & intermixta sensim in illam naturam excocta. Experientia enim constat, latomias longi temporis progressu à natura recitari, & vicina lapidescere. Omitto innumera alia quæ cæcis illis latebris nascuntur; qualia sunt, sulphur, alumen & sal, chrysolitha & stibium, chalcanthum & arsenicum, lithargyrum & hydrargyrum, subrica & lithanthrax, & alia id genus plurima, quæ magnum in vita humana, præsertim ad medicamina usum obtinent. Præter hæc, assidua & irrequieta noctis & diei, æstatis & hiemis, veris & autumnii alternatio & constans vicissitudo proximè ab illo motu pender.

*Quantas
mutationes
inducit solis
obliquatio.*

Admirabile prorsus est diuinæ prouidentiae ingenium, modicam illam solis obliquationem, qua singulis diebus ferè vno gradu sub Zodiaco, motu proprio ex Occidente in Orientem retrocedit, tantas ubique terrarum facere mutationes, & in omni regione (maximè extra Tropicos) quatuor illa anni inducere tempora, ver, æstatem, hiemem, autumnum. Cùm enim sol illo suo motu ad signa borealia adreperit, tempus vernum in omnibus versus boream regionibus inducit, & omnia hieme emortua incipiunt excitari, reuiescere, & quodammodò hilarescere; & quò tendit ulterius versus Tropicum borealem, eò magis omnia crescent & perficiuntur, aucto radiorum calore: non quòd sol tunc sit vicinior terris, cùm iudicio Astronomorum multò longius tunc absit quàm hieme; sed quia directioribus radiis loca illa adspicit,

spicit, seu quia radorum directior fit reflexio. Rursus cum à signis Borealibus cœperit recedere, & radiis obliquioribus terras nostras spectare, sensim ea quæ apud nos ex terra nascuntur, incipiunt languescere, & virorem suam vigoremque amittere. Sed e contrario in parte Australi omnia incipiunt reuiuiscere, virescere, crescere, idque eò magis & magis, quòd sol versus illas oras magis accedit. Itaque cum apud nos est æstas, apud illos est hiems; cum apud nos autumnus, apud illos ver. Consideranda hic est mira vis solis, cuius solus aspectus nunc directior, nunc obliquior, tantam inducit varietatem, quantam videmus inter æstatem & hiemem. Quid hieme tetrius? omnia horrida, mortua, aspera, gelu & torpore obfusa. Quid æstate pulchrius, amœnitas, vitalius? omnia virent, florent, rident, vigent, & externa specie lætitiæ quadam gestire videntur. Si tantas mutationes, tamque diuersum statum rebus inuehit modica solis huius corporis in mortalium & peccatorum ministerium conditi accessio & declinatio, quantam inducet Sol iustitiæ, cum electis suis præsentem se exhibuerit, & clarè lucere cœperit, nubilo huius mortalitatis discusso, & hieme præsentis sæculi exacta? Tunc *iustus sicut palma florebit in domo Domini*, & sicut cedrus Libani exaltabitur. tunc omnes iusti sicut quidam soles splendebunt in regno Dei. Sed quamuis hiems nostra deformis sit ad aspectum, non tamen idcirco inutilis. recipit enim se calor & spiritus ab externis ad interiora, à circumferentia ad centrum, ibique se constipans & corroborans, humorem colligit & concoquit, ut suo tempore foras in foliorum & flosculorum ornamenta, & fructuum delicias se effundat: adeò ut sine hiemis aliqua asperitate, verna amœnitas & æstiuæ opes constare vix queant. Sic quoque etiam vita hæc aspera & grumosa homini, cuius conuersatio in cælis est, videri possit, tamen summam utilitatem continet. Cum enim mens huius vitæ calamitatibus tamquam hiemis frigoribus repercussa & afflicta fuerit, desertis externis ad interiora se colligit, ibique humorem diuinæ gratiæ attrahit, quem in bonorum operum decora, in virtutum ornamenta, & in fructu vitæ æternæ expendat. Vnde sicut quòd sæuiore sunt hiemes & diuturniores, eò lætiores æstates & frugum maior vbertas: ita quòd vitæ huius afflictiones sunt diuturniores & maiores, eò maior erit gloria in regno Dei.

Analogia inter solem & Christum.

*psalm. 91.
Dani. 12.
Math. 13.
Hiemis utilitas.*

Analogia inter hiemem & afflictiones huius vitæ.

Deniq; cœlorum conuersio causa est omnibus uiuentibus, animantibus pariter & plantis, herbis & arboribus, bestis & hominibus,

ortus, accretionis & status perfecti: in multis etiam decretionis & interitus naturalis; aliter tamen & aliter. Nam ortus, accretionis & perfectionis est causa vi sua & per se, dum calore caelesti & superno influxu viuentia fecundat, fouet, laborat: decretionis & interitus ex euentu; vel quia viuificum solis astrum abducit, vel quia ardore solis humorem reru sensim absumit, easque arefacit.

Ex his constat Primò, Diuinam prouidentiam motu caelesti generatim hunc mundum inferiorem, & omnia corporalia quae illo continentur, gubernare, ortus & interitus vicissitudines efficere, rerum species perpetuare, viuentium omnium vitas suis aetatibus & accessibus prouehere, distinguere, definire; denique omnes ordinarias mutationes rerum & temporum inducere.

Dico *ordinarias*: quia multa saepe praeter vel supra communem rerum cursum & causarum naturalium ordinem eueniunt, quae diuina prouidentia per Angelos bonos vel malos fieri iubet aut permittit, exigentibus id hominum meritis vel demeritis; vel quia ita congruit eorum exercitationi. Sic inductus orbi cataclysmus, sic pluit ignem sulphureum in Pentapolim, sic Mare rubrum diuisum iter praebuit Israëlitico populo, sic terra dehiscens absumpsit Dathan & Abiron cum tabernaculis & familiis suis, sic igne caelesti duo quinquagenarij cum quinquagenis militibus sub Elia absumpti, sic saepe tempestates terra marique excitantur; sic interdum fulmina, grandines, imbres, venti, terrae motus. Denique hoc modo innumera alia & olim facta sunt, & quotidie fiunt, & fient usque ad extremam mundi catastrophem.

Secundò, Si motus caelorum sisteretur, sensim haec inferiora praefertim viuentia contabescerent, & in sua elementa soluerentur. Nam quibus sol assidue incumberet, ea exurerentur, vel omnino arefcerent, & omni penitus humore absumpto tandem nihil nisi terrena eorum portio remaneret. Si valde oblique, vt hieme, ea aspiceret, frigore assiduo calor vitalis extingueretur. Si medio quodam modo, vt verno tempore, putrescerent humores, debili calore eos non valente concoquere; quod maxime accideret in herbis, frugibus, & omnibus aliis quae ex terra crescunt. Homines quoque & bruta animantia paucis annis extinguerentur, nec possent diu vitam prorogare, partim ob causam dictam, partim ob alimenti defectum, terra nihil reddente, partim ob aeris & aquarum corruptionem & pestilentem affectum, cessante ventorum flatu & agitatione omni, per quam noxa illa solet impediri. Argumento sunt aquae subter-

Gen. 7.
Gen. 19.
Sap. 18.
Exod. 14.
Num. 16.
4. Reg. 1.

Inhibito ca-
lorum motu
qua sequen-
tibus.

subterraneis in specubus stagnantes, & spiritus inclusi, qui perspirationis & afflatus inopia pestilentes efficiuntur. Denique saxa, metalla, & gemmæ, quæ firmissima videntur, sensim soluerentur, & in sua principia facefferent. Quidquid enim ex elementis conflatum est, necesse est temporis successu dissolui, tum propter interitum principiorum pugnam, tum ob externam elementorum impressionem, qua & humor naturalis, quo maximè res coaluerunt, absumitur, & naturalis dispositio ac temperies euertitur, aliena & corruptrice qualitate sensim introducta. Vnde etiam aurum & adamantes tempore obscurantur, languescunt, & corrumpuntur; etsi ob longissimum temporis spatium ab hominibus non ita possit animaduerti. Motus autem cælestis temperamenta rerum, & qualitatum quas forma requirit syndromen, magna ex parte tuetur, & noua pereuntibus veteribus, sensim substituit, vt in metallicis fodinis est obseruatum. Quod autem quidam putant, cælesti motu cessante, statim in rebus inferioribus cessaturas omnes actiones & alternationes rerum, omniaque permanfura immota; alienum à veritate cenfeo: quia nulla ratione ostendi potest, vires rerum inferiorum intrinsecam à cælo dependentiam habere. quid enim ignis vt comburat stuppam & ligna iniecta, cum motu locali primi Mobilis? sed idem tantum motus iste à Deo institutus est, vt lumen & vis astrorum deferatur circum terram, & ita omnibus communicetur.

55 Tertiò patet, Hunc mundum inferiorem tribus potissimum mediis & quasi ministris gubernari. Primò, Vi impressa cuique propria: Deus enim singulis rebus vires dedit, partesq; ac membra formauit, prout cuiusque naturæ congruebat. Hæ vires sunt velut instrumentum Dei, quo omnes rerum naturalium actiones cuique rei accommodatas perficit, & ratione cuius ipse auctor est illarum omnium; sicut qui sagittæ impetum ad motum impressit, est auctor illius motus. Secundò, Per motum cælestem, quo solem & salutaria astra adducit & abducit, ortus ac interitus vicissitudinem perficit: omnia nasci, crescere, maturescere facit, & rerum corruptibilium species perpetuat. Tertiò, Per ministerium Angelicum, quo res à diaboli furore, qui eas vel deleret, vel in perniciem hominum conuerteret, tuetur; & multa in rebus præter naturalium causarum ordinem efficit, etsi ad hoc interdum etiam dæmonum opera vtatur. Supererant adhuc aliqui alij Providentiæ actus: nam septimus erat, Illuminatio creaturæ rationalis; octauus, Redemptio; nonus,

Iustificatio, decimus, Iudicium extremum; vndecimus, Remuneratio. Verum de his dicendum in Misericordia & Iustitia.

CAPVT IX.

De fructu considerationis diuinæ providentiæ.

CONSIDERATIO diuinæ providentiæ multos in nobis parit 56
fructus, sed potissimum quatuor insignes. Primò, Magnum
solatium & animi tranquillitatem in ista rerum perturbatione.
Cum enim perpendimus hunc mundum (in quo pleraque casu
potius quam diuina providentiâ euenire, & malitia præualere im-
puneque grassari videtur) tanta providentiâ, tanta ratione & con-
silio gubernari; facillè animos nostros componimus, & in diuina
providentiâ acquiescimus, etiam si impios dominari, pios opprimi,
religionem euerti, & iustitiâ extirpare videamus: nihil enim ho-
rum fieret, nisi Deus singulari nutu permetteret, non permetteret
autem, nisi iustissimæ rationes ei suppeterent, atque adedò nisi me-
lius esset sic permittere quàm impedire. Nec refert quòd grauiâ
inde incommoda, & animarum plurimarum iactura sequatur, quia
etiam ob eam causam meritò dolere debeamus, dolor tamen iste mo-
deratus esse debet, quia placuit Deo ob iustissimas causas sic per-
mittere, qui potens est omnia ista sarcire, & suo tempore ex magnis
malis nouit maiora bona excitare. Quid tristius lapsu generis hu-
mani? & tamen Deus inde tantum bonum elicuit, vt lapsus ille vi-
deatur fuisse optabilis. Et quamuis possint res à Deo melius guber-
nari ad commodum horum vel illorum, non tamen idcirco me-
lius absolute: quia non melius ad vltimum finem, quem supremus
moderator potissimum intendit; qui est perfectio vniuersi, vel po-
tius gloria Dei, seu diuinarum perfectionum manifestatio, quo sine
diuina providentiâ frustrari non potest. Quidquid enim eueperit,
semper ex eo diuina gloria reddetur illustrior.

Nec refert quòd hæc sapientiâ modò in gubernatione mundi 57
non ita appareat; imò Deus tam parcè & tenuiter rebus humanis
miscere se videatur, vt plurimi de Numine & Providentiâ dubitènt:
quia postea suo tempore perspicuè se ostendet, nimirum quando
quidquid modò inordinatum esse permisit, in ordinem rediget,
suoque loco & statui congruo assignabit. Tunc veluti in speculo
cernetur totus humani generis per orbem diffusi decursus, & simul
tota providentiæ ratio, seu gubernandi forma, qua Deus tum ge-
neratim

*Primus fru-
ctus, Ma-
gnam adfert
animo conso-
lationem.*

neratim in singulis regnis, oppidis, familiis; tum speciatim cum singulis est usus. Sicut enim singulorum patefcent facta bona & mala, ut constat ex Apostolo 1. ad Corinth. 4. (*qui illuminabit, inquit, abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*) ita etiam apparebit (praesertim beatis) specialis providentiae modus quem singulis adhibuit, ut, clare pateat quanta benignitate & patientia erga peccatores sit usus; & quam quisque illorum sine plus siue minus sit inexcusabilis; denique, quam ista providentiae ratio qua usus est, fuerit & naturis rerum & gloriae diuinæ manifestandae accommodata.

58 Secundus fructus, Tollit murmuraciones, quæ aduersus Deum fieri solent. Murmurant enim interdum quidam contra Deum, quod illos miseris & calamitatibus inuolui sinat; quod paupertate, fame, siti; quod aestu & frigore, morboribus & angoribus, doloribus, morbis, & aliis incommodis, quasi vel Deus curam ipsorum non habeat, vel etiam iniuste hæc irroget. Sed reprimitur impius iste animi motus, si cogitemus, Deum hæc omnia sapientissimè, benignissimè, & ob iustissimas rationes immittere vel permittere. Nec aliter ipsosmet qui nunc murmurant facturos, si tanta sapientia & bonitate præditi essent. Primò, Quia decet supremum moderatorem, qui res omnes satis ex parte sua ad bonum instruxit, ut eas sinat agi suis motibus, nec assidue earum ordinem mutet, aut impetum inhibeat. Et quidem si de causis naturalibus agatur; an semper impediēt ventos, imbres, fulmina, aestus, frigora, nebulas, & alia huius generis, quando huic vel illi homini, huic vel isti loco videntur nocitura? Habeant ista cursum suum, nec propter priuata damna vniuersalis ordo rerum turbandus, aut cursus naturæ cohibendus, praesertim cum, et si his obsint, aliis profint. Si autem causæ sint liberae, multò magis sibi sinendæ, ne bonum sit coactum; quia omnis coactio & necessitas meriti rationem extinguit. tanta enim est virtutis dignitas, & vitij turpitudine, ut omnes spontè illam complecti, hoc fugere debeant. Si quid à recto ordine deflexerit, ipse facilè suo tempore emendabit & restituet.

Secundus fructus est, Quod tollat murmuraciones contra Deum.

Causa cur Deus permittat bonos affligi.

Primò, Decet supremum moderatorem ut sinat res ferri suis motibus.

59 Deinde, Quia istæ calamitates sunt fructus partim mortalitatis nostræ, partim peccati originalis; & congruunt huic nostro statui & loco. Itaque Deus ista permittit, primò, ut nos ipsos nouerimus, nempe quales ex nobis sumus, & quantis malis absque Dei supernaturali beneficio obnoxij: deinde, ut sciamus quantum mali inuenerit peccatū: denique, ut cogitemus nos esse in loco exilij, non in patria;

Secundò, Sunt fructus nostræ mortalitatis & peccati originalis.

patria; in valle lacrymarum, non in paradiso voluptatis; in loco pœnitentiæ & certaminis, non gaudij & triumphi. Etsi enim natura nostra per se istis omnibus malis sit obnoxia; tamen singulari Dei protectione ante peccatum hæc omnia impediebantur, & semper impedita fuissent, si peccatum non superuenisset. Ita enim Deus cohibuisset & gubernasset res omnes quæ in mundo sunt, vt nullum detrimentum, nullamve molestiam homini possent adferre. Verum patrato peccato sublata est illa protectio, & natura ad suam relapsa sortem, his omnibus est exposita & subiecta. Hæc est igitur naturæ nostræ conditio, eò quod inter species naturæ rationalis sit omnium infima & imperfectissima. Hic etiam est fructus peccati communis, quod diuinum illud donum, per quod ista omnia impediebantur, est euersum & extinctum. Denique hæc est conditio nostri exilij, vt ardentius ad patriam adspiremus.

*Tertio, Sæpe
graviora
commeriti.*

Tertia causa est, Quia ista omnia sæpe nostris peccatis sumus 60
commeriti. Si enim vel ob vnicum peccatum mortiferum æternas pœnas inferorum mereris; cur durum tibi videatur, etiamsi omnibus huius vitæ calamitatibus in vnum conspirantibus propter illud affligaris? Imò cur non refutetur id summa clementia, cum huius afflictionis ad illam nulla sit proportio, siue acerbiter spectes, siue durationem? Hæc enim est temporalis & momentanea; illa æterna, nullis vquam sæculis finienda & mitiganda: hæc est leuis & toleratu facilis; illa prorsus intolerabilis, omnis acerbiter æstimationem superans. Quid ergo si plurima & pœnè innumera peccata mortifera commiseris, nonne infinitæ clementiæ erit, si omnia illa leuibus huius vitæ flagellis vindicentur & expiantur? Sic ergo quisque apud se in afflictione cogitet, Millies inferorum incendia sum commertus, cur hoc breue & leue malum non æquo animo feram? cur benignissimæ Dei prouidentia tam clementer me tractantis, & æternas grauissimasque pœnas in momentaneas & leues mihi commutantis gratias non agam?

Peccata venialia merentur afflictiones huius vitæ.

Adde etiam, peccata venialia huiusmodi temporales afflictiones 61
merentur. Sicut enim quædam bona opera iniquorum, etsi non mereantur vitam æternam, tamen merentur aliqua bona temporalia, vt diuitias, honores, imperia, teste S. August. l. 5. De ciuit. Dei cap. 15. ita quædam opera mala iustorum non merentur quidem pœnas æternas, tamen merentur temporalium amissionem, & similes afflictiones. Quare etiamsi numquam aliquod peccatum mortiferum commisisses, tamen non idcirco deberes existimare te
imme-

immerentem affligi, sed reputare animo, te illa & multo maiora commeritum.

Quarta causa est, Quia ista omnia sunt nobis virtutum vel exercitamenta vel instrumenta, & seges magnarum coronarum, si bene voluerimus uti. Multorum Sanctorum virtus consopita iacuisset in tenebris, nec ita coram Deo & hominibus splendisset, nec ipsis tantam gloriam in caelis peperisset, nisi tribulationibus excitata & exercitata fuisset. Vnde Iacobi 1. dicitur: *Patientia opus perfectum habet.* Facile enim est Deo seruire cum nihil aduersi se offert, cum omnia ad votum suppetunt, cum nihil naturae aut studii nostris incommodat, neque inde conspici potest, quantum quis profecerit. sed si in aduersis perstet, nihilque de pietatis studio remittat, si graua incommoda propter Deum sustineat, nec se villo modo vinci aut inclinari sinat; signum est magnos in pietate progressus fecisse. Hoc sensu dictum est, *Patientia opus perfectum habet.* Accedit summa afflictionum utilitas: nam vt Apostolus 2. ad Corinth. 4. ait, *momentaneum & leue tribulationis huius, supra modum in sublimitate aeternae gloriae pondus operatur in nobis.* Has igitur & similes rationes spectat diuina prouidentia cum nobis afflictiones immitit, vel obuenire sinit; quas si consideraerimus, cessabit omnino aduersus illam murmuratio.

Quarto,
Exercitatio
virtutis.

63
64 Tertiò, Tollit consideratio prouidentiae anxiam rerum huius vitae sollicitudinem. Ostendit hoc pulcherrimè Dominus Matthaei 6. & Lucae 12. Si enim diuina prouidentia pascit volatilia caeli, prouidens eis alimenta, tegumenta, cubilia; si flores qui nihili aestimantur, tam pulchrè vestit & ornât: quanto magis seruis suis quos adoptauit in filios, quos praedestinauit ad regnum, qui vbiue illi placere student & gloriam promouere, de necessariis prouidebit? Vbi tamen Dominus non excludit moderatam sollicitudinem & diligentiam, sed potius requirit; nam nec auiculae pastum & nidus sine aliquo labore obtinent: sed excludit nimiam anxietatem, quae totum animum hominis occupet, & in temporalia tamquam praecipua bona intentum teneat. Singulis enim rebus ea adhibenda cura, quam pro sua quaque praestantia & dignitate vel necessitate meretur. Itaque prima, summa, intentissima cura impendenda negotio salutis, & ijs quae huic necessaria vel conducibilia, secundaria seu moderata, rebus necessariis ad hanc vitam: superfluis autem, vel etiam impedimenta salutis adferentibus, vt sunt diuitiae, honores, voluptates, nulla. Hæc enim cuius sapienti fugien-

Tertius fructus, Quod tollat anxiam sollicitudinem rerum huius vitae.

Prima cura sit salutis.

da potius quam sectanda. Hunc ordinem insinuat Dominus cum ait: *Quarite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & haec omnia* (vitae necessaria) *adiicientur vobis.* Eodem pertinet quod subiicit Luc. 12. *Nolite timere pusillus grex* (ne vobis desint vitae necessaria) *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* quasi dicat: Si regnum caelorum vobis dare statuit, quanto magis suppeditabit vobis ista temporalia & infima? Neque id parum faciet & maligne, instar vitrici; sed liberaliter & copiose tamquam benignus pater, ut nihil desit pro statu & conditione cuiusque. Si enim inimicis suis, à quibus quotidie offenditur & blasphematur, tam effuse omnia subministrat; cur in suos famulos, qui toti in eius obsequium & gloriam intenti, sit restrictus, & rerum necessariarum penuria eos laborare sinat? Vnde Psal. 30. Propheeta ait: *Iunior fui, etenim senex, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quarens panem. Tota die miscretur & commodat, & semen illius in benedictione erit. Iustum intelligit eum qui eximie iustitiae est deditus, & iuxta monitum Domini, primum quarit regnum Dei, & iustitiam eius;* nempe qui totus bonis operibus, & praesertim misericordiae est intentus. Exempla habemus in Abrahamo, in Iacob, in Ioseph, in Moyse, Iob, David, Tobia, Daniele & Iocis, ut omittam innumera noui Testamenti. Nec obstat quod Dominus huiusmodi in grauem interdum inopiam sinat incidere; quia id fit subinde ad maiorem probationem & coronam. sed ea res ordinarie non est diuturna: nam vel Deus eos eripit ex hoc mundo, vel opportunitatem offert illius miseriae depellendae.

Quarto, Parit maximam in periculis fiduciam. Cum enim Deus maximam suorum prouidentiam & curam gerat, & nihil sine ipsius nutu & prouidentiae consilio fieri possit; non est quod magnopere timeamus vel hominum potentiam, vel daemonum terculamenta, vel bestiarum saeuitiam, vel quiduis aliud quod creatura possit inferre. Non enim sinet aliquid nobis irrogari, quod non cedat in magnum bonum, si ipsi nobis non defuerimus, & illud quo par est modo exceperimus. Nam, ut ait Apostolus ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Itaque illa omnia accipienda tamquam de manu Dei, sine cuius nutu fieri nequeunt; sicut David excepit maledicta Semei 2. Reg. 16. *Sinite, inquit, illum. Dominus enim praecepit ei ut malediceret David.* ubi maledictionem illam ad ipsum castigandum à Deo solum permissam, tamquam praecipit excipit. Et Iob calamitates, quas ei per se &

*Quaritur
fructus. Fidu-
cia in peri-
culis.*

per

per membra sua intulit diabolus: *Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, sic factum est: sit nomen Domini benedictum.* hic mala à diabolo, Dei dumtaxat, & permisso irrogata, tamquam ab ipso Deo illata acceptat.

- 66 Nihil hæc omnia nobis possunt obesse, sed plurimum proderunt si ipsi velimus. Vnde Dominus Luc. 21. cum loqueretur de persecutionibus, quæ Apostolis & viris Apostolicis imminabant, volens ostendere illas quantumvis magnæ essent futuræ, nihil ipsis nocituras, ait: *Et capillus de capite vestro non peribit. in patientia vestra possidebitis animas vestras.* quasi dicat: Nihil illas curetis, quia ne in minimo quidem vobis oberunt, quin potius maximum commodum adferent. nam illas patienter ferendo, acquirere æternam animæ salutem. Quamvis enim auferantur bona, & corpus supplicii excrucietur, parum ea afflictio durat, & mox omnia infinito cum fenore restituentur. Hac consideratione Apostoli, Martyres, & Sanctorum reliqui se ad eò intrepidus & fortes in periculis præstiterunt. Sic B. Pater noster Franciscus Xaverius inter Iaponios in ipsum frementes & mortem præsentem minitantes, imperterritus & securus egit, nihil de acri illa superstitionum & impietatis refutatione remittens.

CAPVT X.

Recollectio precatória, de Providentia diuina.

- 67 **T**ua, Pater, providentia gubernat omnia, pertingens à sine ad Sap. 14. finem, ab extremis caelorum ad ima terrarum, à supremo Sap 8. spiritu ad infimum vermiculum, *fortiter, & disponens omnia suauiter.* Fortissimus est eius actus, quo creantur & sustentantur omnia: suauissima dispositio, qua singula pro naturæ conditione suis locis & ordinibus collocantur, suos in fines diriguntur, suosque motus agere sinuntur. Non fortuito atomorum concursu, aut elementorum acri conflictu, aut sponte sua mundus iste coaluit, vel emicuit in lucem, sed providentiæ tuæ consilio & vi. Quomodo enim Omnia ab aeterno constituta in diuina providentia. in qua omnia summa ratione & proportionem, summa pulchritudine, symmetria & euraxia constant, sine ratione & sapientia fieri potuisset? Tua providentia hæc omnia ab aeterno excogitavit, concepit, distinxit, digessit, ordinavit. Hæc singulorum species, mensuras, formas, partes, qualitates, indoles definiuit, vires multiplices & instrumenta veluti panopliam quam

quamdam ad proprias functiones, suique defensionem attribuit: hæc omnibus fines præstituit, causas destinavit, & omnia quæ rei cuique sunt congrua, prouidit. In illa, omnia hæc ex antiquis, & priusquam terra fieret, constituta, vbi etiam ordo temporum sine tempore est, nec quidquam ibi noui occurrit, vbi ante omnia tempora extitit, quidquid pro temporum varietate in lucem promittitur: mutabilium enim dispositionem immutabilis illa ratio continet, vbi sine tempore simul sunt, quæ in tempore non simul sunt, quia tempora non simul currunt. Ibi mutabilium omnium immutabiles stant causæ, & omnium temporalium æternæ lucent rationes, & omnium contingentium fixæ sunt necessariæ radices, & omnium agentium ac operationum stabiles præscriptæ leges, & determinati fines. Ibi cuique pro meritis salus constituta vel exitium, decreto firmo, indelebili irreuocabili, tabulis plusquam adamantinis inciso. Ibi extant decreta & sanctiones de rebus omnibus, de earum ortu & progressu, functionibus & effectis, euentis & interitu, quibus temporibus, momentis, locis, causis, quo ordine & modo horum singula sunt futura. Sine prouidentia tuæ legibus nihil omnino nascitur, nihil occidit, nihil operatur, nihil mouetur, nihil quiescit. Illa ad suos omnia fines destinat, & singulis intimè insidens ac præsidens, propriam cuiusque indolem format ac inserit, & per eam rem quamlibet in congruas cuique functiones & proprios fines dirigit. Quid enim est aliud cuiusque rei ingenium & natia propensio, quàm tuæ prouidentia vestigium & impressio? Hinc res omnes ratione carentes, tanta ratione operantur, & in fines suos, quos nec animo percipiunt, nec vllò modo cognoscunt, tam ordinatè tendunt. Quanta arte araneus telam e suis visceribus texit, plagulas tendit, venarum muscarum instituit? Quanta subtilitate & industria apiculæ struunt fauos, formant hexagonos vtrique loculos sobolis matrices, & nectarej succi apothecas; colligunt caelestem rorem, & alia mira in commune veluti in quadam republica gerunt? Omitto admirabile auicularum ingenium in extruendis nidis ad spem quietem & tutelam, pullorum procreationem & educationem. Omitto stupendam bombycū indolem in texendis tenuitate panè inuisibili filis sericis, in concinnandis filorum glomere loculis, quibus veluti sepulchralibus tumulis inclusi inmoriantur, vt post aliquot menses reuiuifcentes & ex sepulchris suis egredientes palingenesiam nobis adumbrent. Alia innumera prætereo tum in animantibus, tum in plan-

*Iudicium
extremum in
prouidentia
diuina iam
peractum.*

*Ex vi prouidentia
prouenit ut singula
operentur ac si ratione
præstita essent.*

plantis, quæ tanta ratione, arte & providentia fiunt, ut maiore fieri non possint: non sua quæ ipsis inhæreat, sed tua quæ ipsis assistit, quæque vestigium & specimen quoddam sui ipsis imprimens, ita operari facit, ac si summa providentia & arte prædita essent. Omnis igitur actio & omne opus nature, est actio & opus tuæ sapientia & tuæ providentiæ. Nec aliter omnia secundum legem tuæ providentiæ agunt, quam si eius plenam notitiam possiderent.

70 Rationalem tamen naturam excipio, quæ cum suæ cuiusdam providentiæ sit particeps & libera, sæpè non tuæ providentiæ directioni se accommodat, sed sua providentia & arbitrio vivere cupit. Hinc omnis peccati fons, omnis calamitatis origo. Non tamen hoc absque providentiæ tua geritur. Et si enim creatura rationalis dum peccat, secundum legem quam illi statuisti non agat; non tamen absque providentiæ lege agit, à qua & vires habet, quibus in suam perniciem abutitur; & limitatur agere ea quæ absque eius permisso agere non posset; & certis circumscribitur limitibus, ne aliter aut amplius male agat, quam tibi permittere visum fuerit. Sic omnia intra providentiæ tuæ ambitum conclusisti, ut illam nihil possit effugere; ita omnia illi subiecta, ut eius iugum & dominatum excutere non possint.

Sola natura rationalis se subtrahere nititur ordini divini providentiæ.

71 Væ peccatoribus, qui eius gubernationi & legibus subtrahere se conantur, & sua providentia, suis placitis & arbitrio vivere. Dum enim subducunt se providentiæ dirigenti ad vitam, incidunt in providentiam destinantem ad mortem: & dum recedunt ab ordine benignitatis & misericordiæ, incidunt in ordinem severitatis & iustitiæ: & dum excutiunt iugum suave divinatorum præceptorum, subeunt iugum crudele dæmonum & æternorum suppliciorum. O infaniam sanguineis lacrymis deflendam! Quis mentes mortalium ita fascinauit, & in tantam amentiam adduxit?

Dum subtrahunt se vni providentiæ ordini, incidunt in aliū.

72 Infelices quoque Religiosi illi, qui cum à tuâ providentiâ se gubernari per suos Superiores sinere deberent, sua prudentia & consilio vivere volunt, non secus de se solliciti, ac si nullius curæ subessent. Subtrahunt enim se suavissimo & certissimo illi providentiæ ordini, quo securissimè & fructuosissimè ad salutem directi fuissent. Varij enim sunt providentiæ tuæ modi, variæ series gubernationum & gratiarum, cuique magis vel minus accommodatæ & salutares. Felix ille cui eum providentiæ ordinem, eam gubernandi rationem adhibes, quam nosti maximè salutarem illi fore, & copiosissimi fructus. Nihil in hac vita optabilius, nihil beatius

Periculum Religioso, si suam obedientiam se subtrahere nitatur.

quàm sub tali ordine & directione cursum vitæ peragere, ex qua tam certa salus, & tantum æternæ gloriæ emolumentum. At merito credi potest eam gubernandi formam viro religioso salutarem esse præ ceteris, qua illum providentia tua per Superiores illius in cursu vitæ, in officiis, functionibus, missionibus, mansionibus, studiis, ceterisque omnibus dirigit: alioquin cur perfecta & cæca obedientia tantopere à sanctis Patribus laudaretur? cur à sanctissimis viris & sapientissimis ita frequentata esset & culta? cur securissima ad salutem prædicaretur via? cur Dominus ipse ad eam commendasset, suavisset, eiusque tanta præbuisset nobis exempla?

Itaque dubitandum non est, quin si quis huic formæ providentiæ se tradat, & veluti in vlnas eius se proiciens, ab ea se duci in omnibus sinat, viam ille certissimam adipiscendæ salutis teneat. Qui verò ab ea se subducit, sua se providentia regere volens, magno periculo se exponit, ne in illius providentiæ incidat ordinem, in quo à salute excidat. Hæc enim ratio ab omnibus sanctis vituperatur, & periculosa iudicatur saluti, quantumvis in speciem sancta videatur & salutaris. Extant exempla plurima eorum qui hac viâ perierunt; nulla eorum qui perierint ista, aut quibus minus bene cesserit. Quomodo enim non optime cedat, quod tu ipse suavisti, ad quod feliciter dirigendum te obstrinxisti? Hanc ergo viam indeclinabiliter teneam, hanc usque ad extremum vitæ spiritum sequar, quam tu ipse, & qui Spiritu tuo afflatus, præ ceteris commendarunt.

Numquam providentia tua in sua dispositione fallitur, novit enim priusquam statuatur, quidnam ex quavis hypothese & dispositione sit euenturum: vnde etiam numquam suo frustratur effectu & fructu. Etsi enim inferiorum causarum ordines, qui providentiæ tuæ sunt quedam participationes vel impressiones, ob imperfectionem & mutabilitatem suam sæpè deficiant, nec ad finem causis illis præstitutum perducant; numquam tamen tuæ sublimis providentiæ ordo ac dispositio proprio sibi que commenso sine frustratur, sed huic semper assequitur. Quod etsi modò nondum appareat durante adhuc mundi cursu, & termino quò tendunt omnia nondum adducto, vbi tamen decurso stadio suo ad metam pervenerit, clausulaque postrema imposita fuerit, nec ulterius humanarum rerum excurreret volubilis ræta: tunc se vis providentiæ aperiet, & correctis omnibus causarum inferiorum erroribus, omnibusque in ordinem firmissimum & sempiternum reductis, clarè perspicietur.

*Via tutissima
Religiosa, &
directio Superio-
riorum, quæ
loco Dei habet.*

*Providentia
divina num-
quam in sui
dispositione
fallitur.*

tur quàm sapienter, quàm suauiter, quàm congruè naturis rerum & saluti mortalium, quàm conuenienter diuinæ gloriæ, omnia ab ipsa administrata fuerunt.

75 Hæc igitur sublimis prouidentia tua mihi semper ob oculos versetur, & quidquid prosperi vel aduersi obuenerit, ab illa duci & pendere intelligam, de quæ benefica manu tua excipiam. Nihil enim fit in tempore, quod ab illa ob iustissimas causas non sit dispositum in æternitate. Hæc mihi in asperis sit solatio; hæc animum turbidis mundi in rebus, in regnorum, religionisquæ sacræ, & animarum cladibus turbatum afflictumquæ componat & tranquillet. Omnia enim prouidentia tua sapientissimè disponit, & quidquid erratum fuerit à creaturis, quidquid ab ordine recesserit, ita corrigit & in ordinem rediget, vt in omnibus gloriæ tuæ maiestas magis resplendeat, quàm si omnia primum ordinem in quo posita fuere, tenuissent.

omnia placide à manu diuinæ prouidentis excipienda.

76 Non patitur quidem huius vitæ conditio & lex charitatis, vt proximorum damnis & exitiis, diuinæquæ maiestatis iniuriis non tangamur, non afflictemur; absque huiusmodi stimulo vix ad optulandum excitaremur. sed adhibenda moderatio; & vbi res peractæ sunt, vel desperatæ, nihilquæ opera & preces nostræ possunt adferre præsidij, expedit inanes mœrores depellere, & prouidentia tuæ contemplatione animum solari. Hæc mihi fiduciam pariat in

Non excludit affectum cōpassionis, sed moderatur.

77 terroribus, securitatem in periculis, robur in arduis, tranquillitatem in turbulentis, rolerantiam in aduersis, æquitatem animi in futurorum expectatione. Hæc vanas à mente nostra sollicitudines depellat, perinde ac si à sola prouidentia tuæ benignitate omnia prouenirent; & simul ea sedulitate rebus agendis intentam faciat, quam earum magnitudo & status postulat. Nostram enim cooperationem, nostrumquæ studium postulat prouidentia tuæ gubernatio; sed superuacaneam curam, & anxietatem in rebus temporalibus

78 negotiisque huius vitæ respuit & damnat. Hæc omnia mea disponat & regat vsque in finem, sicut saluti meæ & gloriæ suæ expedire nouit, siue per prospera, siue per aduersa, per honorem vel ignominiam, per infamiam vel laudem, per abundantiam vel inopiam, per morbos vel sanitatem, per vitam vel mortem; nihil excipio, nihil refugio. Hoc vnicum & antiquum votum meum; Fac mecum sicut scis profuturum saluti meæ & gloriæ tuæ, vt te in omnem æternitatem contempler & admirer, amem & honorem, laudem, benedicam & glorificem in omnibus & supra omnia. Amen.

DE